EPISTOLA PASTORALIS

S. NERSETIS CLAJENSIS

QUAM EX ARMENIO LATINITATE PRIMUM DONATAM

ILL. AC REV. VIRO

BERNARDO ANTONINO SQUARCINA

AD CENETENSEM EPISCOPATUM EVECTO

SUAM ECCLESIAM

PRIMUM SOLEMNITER INGREDIENTE

PUBLICI JURIS FACIT

JOSEPH CAPPELLETTI

PRESBYTER VENETUS.



VENETIIS

TYPIS PP. MECHITARISTARUM IN INSULA S. LÀZARI

MDCCCXXIX.

ILL.ME AC REV.ME DOMINE.

Mirari non debes, Excultissime ac Reverendissime Praesul, si ab ultimâ usque Armeniâ, sed latinâ tectus veste, hac magis Tuis quam Tibi laetâ die, in omnium conspectum prodeat Sanctissimus Armeniorum Patriarcha, quem CATHOLICUM appellat et ha-

bet ejus Ecclesia, NERSES CLAJENSIS. Flagrabat et ipse charitate, qua tu flagras, erga Christi fideles suae commissos curae, et pro temporum conditione, proque suae Gentis statu commonefaciebat omnes, ne quis in suo Grege devius, aut Pastoris dicto audiens non foret. Praeterea adeo stylo facili purissima connectit verba, et omni dictionis festivitate ac lepore in sua oratione scatet, ut GRATIOSI cognomen penes Armenios armeniaeque linguae peritissimos ad haec usque tempora sibi prae omnibus adquisiverit. Utinam tantum in me esset cognitionis in ejus sermone, et in latio venustatis, ut, quod mel merum est Armeniis universis, idem saperet et Latinis! Non eo quidem inficias, quod Te minime latet, me hujusmodi eloquium in deliciis habere, et praecipuos saltem illius Gentis Patres posse latinis auribus intelligi, ut apud nos ii vivant, qui olim tam fulgidâ pietatis ac sapientiae luce apud suos claruere, summopere concupivisse. Attamen ut ut vires deficiant, et quod res ipsa postu-

lat, immo efflagitat, desideretur, rei novitate compulsus, Tuâ in me prorsus singulari benevolentiâ illectus, operis ipsius utilitate, aut ego fallor, coactus, quod ignotum huc usque est Latio, non oratoris, sed fidi interpretis personam gerens, quantum in me est, in communi bono converti. Immo tanta mihi in hujusmodi interpretis munere est religio, ut, verba omnia justâ in lance pensitaverim, eruditiores consuluerim, nullum non lapidem moverim, ne ab Auctoris mente aberrarem aliquantulum, sed nativo colore, nativâque vi omnia exprimerem. Quamobrem potius duxi interdum ab aetate etiam minus aureâ nomina mutuari, quam deformare Auctoris opus.

Verum, ut nonnihil de S. NERSETE, ipsiusque Encyclicâ, quam venetis typis Tuo decoratis Nomine mando, in praesentiarum breviter dicam, satis mihi duo testimonia proferre; alterum P. Clementis Galani (P. I. pag. 239), alterum D. Villefroy in opere cui titulus: *catalogue des livres tant impri-*

més, que manuscrits de la bibliotheque royale de Paris sub littera U. n. 2. pag. 57. Ille: « NERSES » CLAJENSIS, ait, orthodoxus Pa» triarcha, quem Armenia universa ut » sanctus illius Ecclesiae Patrem et » Doctorem agnoscit, ejusque comme» morationem in Liturgiâ et Menologio » celebrat, fuit poeta sacer, et hac qui» dem facultate adeo insignis, ut cele» brioribus, meo judicio, vel Graecis » vel Latinis poetis in suo coaequandus » sit idiomate. » Hic autem, celeberri» mus armeniacae linguae cultor, ita scribit: « Lettre universelle de Nerses » IV. adressée à tous les fideles d'Ar» ménie, lors de son avénement au » trône patriarcal en 1166. Dans cette » lettre Nerses fait part de son élection, » et décrit au long le poids de l'Epi» scopat. Il fait ensuite une très belle » profession de foi, ou il reconoit deux » natures en J. C. Il emploie le corps » de sa lettre a parler de la foi et des » oeuvres qui doivent l'accompagner, » et a donner des avis salutaires 1. aux

» cénobites, 2. aux supérieurs des cé-
» nobites, 3. aux évêques (qu'il prie
» de ne pas trouver mauvais qu'il les
» ait placés après les cénobites), 4. aux
» prêtres, 5. aux princes séculiers, 6. aux
» gens de guerre, 7. aux citoyens et aux
» marchands, 8. aux laboureurs et au
» menu peuple, 9. et enfin aux femmes.
» Cette lettre est pleine d'une piété
» solide, et l'on y découvre par tout
» les sentimens de respect, dont Nerses
» étoit pénétré pour la religion, l'église,
» et la discipline ecclésiastique ».

Illâ igitur consuetâ suavitate oris, quâ me discentem, et eos, qui mecum vivebant in condiscipulatu, fovebas ac recreabas, Praestantissime Praesul, accipe opus, quod sub tuis auspiciis prodit in lucem, mihique tuâ benevolentiâ addito vires animumque, ut ad Gloriam Dei, Sanctaeque Ecclesiae commodum labores vel maximos in dies exantlare possim. Non Te amplius moror; nam Tibi laetitiâ gestiens tua modo Cenetensium Dioecesis Te manet; et, si prius moerore angebatur, quod a se

divulsum optimum Pastorem Patremque pati coacta sit, in Te Praedecessoris tui vestigia premente, hodie suum Ducem haudquaquam videt commutatum. Tibi pro tui Gregis felicitate Deus Optimus Maximus longaevitatem largiatur. Vale.

Venetiis XIV. Kal. Martias MDCCCXXIX.

Tibi addictissimus, Tuique observantissimus
JOSEPH CAPPELLETTI Presb. Venetus.

Epistola Pastoralis Nersetis Catholici[1] *Armeniorum ad universam Haicanam nationem, cujus regimen ipsi a Deo fuit commissum.*

Nerses Christi servus, ejusque miseratione Armeniorum Catholicus: Universis Haicanae nationis fidelibus in Oriente, ut in propria Armeniae regione, habitantibus, aut in Occidente peregrinantibus, atque per mediterraneas partes inter gentes variarum linguarum vagantibus, ac propter communia nostra peccata in quacumque provincia, civitate, oppido, pago, aut agro dispersis: Hisce omnibus, Episcopis et Sacerdotibus, Monachis et Civibus, Principibus et Subditis, Equitatui ac Peditatui, provinciarum Rectoribus ac Praefectis, dominis ac villicis, mercatoribus et artificibus, atque iis, qui variis negotiis juxta propriam voluntatem pro libitu implicantur; viris ac mulieribus, juvenibus, aut adolescentibus, vel firmam aetatem ingressis sive ad senectam perventis, saecularem spiritualemve vitam ducentibus: Omnibus per virtutem divinae et salutiferae Crucis, exuviarum Apostolorum, qui linguas igneas Spiritus Sancti acceperunt, dexterae manus Beati nostri Illuminatoris [2], nec non hujus Sedis, illius olim, nunc Nostrae, charitatis ac pacis salutationem.

Apud quas [3] orationibus nostris Deum deprecamur pro salute animarum vestrarum, ut aperiantur aures intellectus vestri ad percipienda divina verba, quae ex Dei praeceptis hausta vobis propinamus, ut per justitiae viam a Nobis ducti, possit unusquisque

1 Idest, Patriarchae Universalis, sic enim appellatur summus Armeniorum Patriarcha.

2 S. Gregorius Illuminator, primus Armeniorum Patriarcha, cujus dextera apud Catholicos pro tempore servabatur.

3 Tum *manum*, tum *Sedem*.

vestrum aliquam *e mansionibus in domo Patris* [1] coelestis haereditare. Obsecro et ego vos omnes, ut oretis pro Nobis, ut quum a Deo vocabimur, accuratam possimus ei reddere rationem administrationis nostrae super vos.

Notum sit omnibus vobis, quod Pater spiritualis, Nobisque sanguine frater, Sanctus Catholicus Gregorius successor et consanguineus magni Armeniorum Illuminatoris, quem puritate ac sapientiâ imitatus est, postquam diu gubernasset feliciter istum rationalem gregem ipsi a Christo commissum, sicut olim Petro quum dixerat: *pasce oves meas* [2]; notum sit vobis, inquam, quod vitae suae fine adveniente, a Spiritu Sancto, ut ceteri beati Patriarchae, priusquam moreretur admonitus, vocavit ad se Episcopos, Doctores, et Patres e Sancto Monte [3], aliosque e diversis locis quamplurimos; atque una simul cum ipsis, quamvis Nos indignitatem nostram agnoscentes jampridem renuissemus, Nobis invitis, elegit nostram humilitatem ad Cathedram Patriarchalem Haicanae gentis, domusque Thorgomi [4]. Quo expleto opere ipsi divinitus demandato, post tres menses ad Christum transivit, ab eo nempe vocatus, ut collocaretur cum Patribus, Patriarcha; cum Apostolis, supplementum duodecim numeri; cum patientibus persecutionem, sustinens propter justitiam persecutiones variasque ab adversariis veritatis tentationes; cum glorificatis, qui honoratus fuit a Deo et hominibus in vita. Cujus etiam mors fuit *pretiosa in conspectu Domini* [5], quemadmodum etiam subli-

1 Johan. 14. 2.
2 Johan. 21. 17.
3 Hic est *Mons Niger* prope Taurum, ab Armeniis *mons sanctus* nuncupatus eo quod plurima ibidem erant monasteria; quemadmodum et Graeci montem Athos eâdem de causa Ἅγιον ὄρα vulgo appellant.
4 *Haicana gens* sunt Armenii, sic dicti, quia ab Haico descendunt; iidem vero, a Thorgomo Haici patre, *domus* quoque *Thorgomi* dicuntur.
5 Psal. 115. 15.

miorum Sanctorum, de quibus loquitur Propheta. Ille fidei naviculam per mundi maria Spiritûs vento securus agens, justitiâ et virtute feliciter in portu tranquillo undisque carente collocavit; Nos autem in hac misera vita reliquit inter serpentes, scorpiones, aliasque visibiles et invisibiles bestias suis morsibus noxias, et, quod pejus est, sub gravissimo pondere spiritualium terrenarumque curarum. A quibus tandem poenis ereptus ad beatorum sedem evolavit, postquam infirmitati Nostrae curam omnium Armeniae Ecclesiarum demandasset.

Ego itaque hisce occupatus rebus contremisco mente recogitans judicium Dei, quod tam in veteri quam in novo testamento jam dictum est *durissimum* super Pastores esse faciendum [1]; adeoque spiritum meum cruciat haec cogitatio, ut nequeam *dare somnum oculis meis, nec palpebris meis dormitationem* [2]. Multifariam enim tum nomine, tum muneribus dividitur unum illud officium Inspectoris animarum, quod vocatur Catholicatus, Patriarchatus, Episcopatus, et Sacerdotium, quorum alter est major, inferior alter; immo, quo honorabilior est dignitas, eo majora sunt illius onera, quum sit veluti ceterarum complexio. Verum in ipso (*ejusdem personae*) officio nomina similia Sacerdotio et Pontificatui accedunt; vocantur siquidem genitores, nutrices, doctores, medici, inspectores, pastores, duces, mediatores, judices, aliisque nominibus, quibus et mysteria pietatis celebrantur, et leges Ecclesiae Christi inviolatae servantur.

At quomodo fieri potest, ut aliquis, juxta Pauli sensum, sit mater, et nutrix iis, qui ab ejus sinu secernuntur? Ait enim ille: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis* [3]; et iterum: *Tamquam si nutrix foveat filios suos, ita erga vos*

1 Sap. 6. 6. et alibi.
2 Psal. 131. 4.
3 Galat. 4. 19.

pietatis viscera nutrivimus [1]. Amant siquidem filii naturaliter parentes, et parvuli nutrices; at si in eos odio potius quam amore afficientur, quae Nobis spes effulgebit, eosdem verbo divino iterum ad poenitentiae pascua ducendi, illosve studio ac timore Dei, ut patrem decet, nutriendi? Quomodo fieri potest, ut doctores simus, magistri, praedicatores, et ascendamus, juxta divinum praeceptum [2], super excelsum montem Sion, qui est Ecclesia Sancta, et sine timore extollamus Evangelii vocem, vel, ut ait Paulus ad Timotheum [3], *praedicemus verbum opportune, et importune*, arguamus, increpemus, et consolemur, quum dispersi sint auditores potiusquam in unum congregati; quum diligant non verae sapientiae studium, sed mendacii et vanitatis; quum denique ad malum sint viri, ad bonum autem sint pueri? Quomodo possumus in hoc casu medicum imitari, ideoque sollicitos esse ad sanandos naturales ac supervenientes animarum morbos ob perversi Draconis morsus infirmitate laborantium, quum aegroti non solum non quaerant salubrem spiritualium medicorum artem; verum etiam, si quis eis porrigat exprobrationis aut admonitionis calicem, nolint salutare pharmacum haurire, illorum instar, qui stomacho laborant, atrâque bili cruciantur? Contradicunt praeterea iis verbis: *Medice primum cura teipsum* [4] ab hac infirmitate, et me postea tuis reprehensionibus argues. Aut quomodo erga illos, qui tantum alienati sunt a Nobis inspectoris munus exercere possumus? juxta praeceptum Domini ad Ezechielem: [5] *Fili hominis, speculatorem dedi te Domui Israel;* at si, non annuntians ipsis inimicorum insidias aggressionesque, interficiantur aut captivi ducantur, *sanguinem ipsorum de manibus tuis requi-*

1 I. Thessal. 2. 7.
2 Isai. 40. 9.
3 II. Timoth. 4. 2.
4 Luc. 4. 23.
5 Ezech. 33. 7. et seq.

ram. Circa quod Nos unum habemus solatium, al terum videlicet ipsius Dei ad eumdem Prophetan verbum: *Si audientes impii* vocis tuae clamorem *no fuerint conversi a viis suis*, et perierint, *tu animar tuam liberasti*, et eorum sanguinem de ipsorum ma nibus requiram. Quomodo possumus pastoris munu explere, in virentibus legis divinae locis cubando atque vivificantibus Sancti Spiritus undis prudente irrigando, lupos arcendo, ac vulneratos curando quum sit longe disjunctus pastor a grege? Quomod duces esse possumus iis, qui nolunt a ductore prae monstratam sequi viam, per quam recto tramite a coelum pervenitur; sed potius per latam et spatic sam viam incedunt, quae ad profundum perduci inferni? Quomodo possumus mediatoris munus De um inter et homines obire pro iis, qui nolunt pro missionem servare Deo in baptismate factam, quand Satanae abrenunciarunt, et omnibus operibus ejus ejusque mendaciis, quique fidem Spiritui Sancto i die salutis datam fallendo, diabolum libenter mente verbis, atque operibus sequuntur? Quomodo possu mus Pontificale judicium super eos exercere, qu non solum divinae legis praeceptis sese subjicere e obedire detrectant; verum etiam adversus Ecclesia judicia iniqui judices eriguntur; quique ingente trabes in propriis oculis habentes impiis detractio nibus, apertisque faucibus jugiter alterius improba vitae parvulam festucam accusant? . .

Quae cum ita sint, tota mente totisque artubu contremisco judicii divini timore perculsus, ne onu istius administrationis modo a Deo mihi commissae potiusquam ad gloriam, sit mihi ad reprobationem et potiusquam incorruptibilem coronam, juxta illiu promissionem, ruborem mihi afferat; et potiusquar illud audiam: *Serve bone et fidelis*, illorum instar qui traditis talentis bene utendo totidem talent superlucrati sunt Domino suo, auribus percipian cum eo servo, qui nihil superlucratus est, horren dam illam, ac terribilem vocem: Serve male, et p

ger, oportuit te *committere* mei verbi *pecuniam nummulariis*, qui sunt animae humanae, *et veniens ego recepissem*, *quod meum est*, *cum usura* [1] ex verbis scilicet, quae a te audiebant, perfectionis opera germinassent. Et quoniam tu spiritualem cibum, quum audiendi aderat tempus, conservis tuis minime dispensasti; propterea dico ego, quod gratiae meae argentum abs te auferetur, illisque dabitur, qui, veluti perfectum decem talentorum numerum, verbum meum multiplicaverunt, servus autem in opere, ad quod illum assumpseram, inutilis ejicietur in tenebras exteriores.

Quapropter anceps sum quomodo agere debeam, ut animam meam a formidabili comminatione protegam, nunc, quod propter temporum malitiam, regnorumque copiam impossibile Nobis est, mundum universum lustrare, omnibus verbum Dei praedicando, quemadmodum Sancti Apostoli fecerunt. Non habet enim Natio nostra regiam aut principem civitatem populis frequentem, ubi ex Episcopali vel Doctorali cathedra gentes Nostras divina praecepta docere possimus, sicut priores Episcopi Doctoresque praedicavere. Nos autem, quasi caprea a venatoribus canibusque dilapsa, hanc speluncam habitamus, [2] ubi desunt Nobis omnia ad vitam necessaria, quinimo ubi ne pagos quidem nec tuguria habemus. Desunt et agri ad serendum, ex quibus saltem sudore ac labore victum quaeritare possemus; sed neque a Christianis Regibus et Principibus auxilium, ut deceret, accipimus. A Domino Deo tantummodo omnia habemus, quemadmodum nos admonet Pro-

1 Matth. 25. 26. et seq.

2 Spelunca ista, quam S. Pater habitabat, est oppidum Romclaj in vertice cujusdam montis sub Armeniae finibus positum, ubi Patriarchalem sedem fixerat S. Nersetis frater, Gregorius III., utpote in loco ab hostium incursionibus tuto. Speluncam autem hoc oppidum appellat, quia, propter loci altissimis rupibus undecumque compositi, ideoque omnino inaccessi, arduitatem, ab hominum prorsus consortio semotus vivebat.

pheta dicens: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* [1]; et alibi: *Quis speravit in Domino, et confusus est* [2] ?

Quae cum ita sint; quumque inexpiabiles sint objurgationes judicii Dei super Pastores socordes ac desidiosos, qui sanctis illius doctrinis rationabilem gregem non pascunt, nec divinae sapientiae aquam eidem propinant; quumque istud spirituale onus commissum fuerit infirmitati meae, cui spiritûs vigilantia, et corporale robur deest tum ex parte mei ipsius, tum ob allatas temporum vicissitudines; propter hoc nescio quomodo actiones meas componere debeam. Supremi Pastoris derelinquere gregem, et videns insidiari agnos a lupis eosdem negligere, infidelitatis est signum; in iis praesertim, qui voluntatem Dei agnoscunt, et non sunt insipientes. Nam si quis *ignorans voluntatem domini sui*, ejus praecepta violaverit, *vapulabit paucis*; qui autem illam agnoscens non adimplebit ministerium suum, vapulabit multis, et severissime [3]: quamquam nemo nunc sit adeo inscius, ut secernere nequeat bonum a malo, quique consulto sese ignorantem ostendat. Quapropter ad commonendum et docendum oportet Nos vigilare ob muneris Nostri excellentiam, ut iis, qui in Christo pueri facti sunt, lac verbi Dei praebeamus. Et quoniam, ut superius dictum est, in hisce temporibus ac locis istud per Nos ipsos agere non possumus; propterea, ne inoperosi simus, nullumque super vos, Nobis a Spiritu Dei commissos, afferentes fructum, Nos, ac ceteri, qui Nobiscum sunt, Episcopi et Doctores adjudicavimus commonere vos per epistolam circa Dei praecepta, quae tum in veteri, tum in novo testamento sancita fuere, imitantes hoc modo magnum Apostolum Paulum, qui non solum per extraneas regiones iter fa-

1 Psal. 54. 23.
2 Eccli. 2. 11.
3 Luc. 12. 47. et 48.

ciens Evangelium praedicabat, sicut ipsemet ajebat: *Ab Jerusalem usque ad Illyricum* [1], verum etiam ex vinculis discipulos cofirmabat suis epistolis, quemadmodum et scribens testatur: Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis [2]. Quem Nos quoque imitantes, quasi ex voluntario carcere et vinculis, in isto ardescenti specu occlusi loquimur scriptis manûs perinde ac si ore alloqueremur eos, qui aures habent ad audiendum. At non proferimus verba Nostra, sed sensa repetimus verborum Apostolorum, Prophetarum, et Ecclesiae Doctorum, quae si libenter audientes, quemadmodum fertilis et bona terra semen in semetipsa conservat [3], memoriae mandabitis, Deoque fructum afferetis, causa eritis salutis animabus vestris, Nobis autem premii. Quod si quis diligenter non audierit, immo, ut a Deo defector, contempserit; vel audierit quidem, et suis operibus fructus justitiae non attulerit, sed impoenitenti animo duroque corde vixerit desperanter in peccato usque ad extremum, nec fuerit conversus; Nos coram Christo minime respondere tenebimur pro illius sanguine: quin immo testificamur coram Deo et Angelis ejus, Vobisque omnibus, qui auditis, quod nunquam cessavimus illi verbum Dei praedicare. Itaque sicut prae omnibus corporis membris primum et excellentius est caput, tum ob loci eminentiam, cum ob sensuum in eo collocationem, et post illud alia membra unum post aliud sequuntur; ita et in membris spiritûs maximum et primum, quasi caput, est fidei veritas, cum qua convenire debent, sicut cum capite membra, justitiae opera sive majora sive minora, juxta Jesu Christi praecepta.

Quapropter et Nos ante omnia volumus vobis coram fidei, quae totius bonitatis est culmen, expla-

1 Rom. 15. et 19.
2 Ephes. 4. 1.
3 Luc. 8. 12.

nationem ponere, nihil novi proferentes, sed paucis verbis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum Sanctorumque Patrum aedificantes, ne quis forte indoctos imperitosque audiens disserentes; qui in audientium ruinam Catholicae Ecclesiae professioni haud consona proferunt, sed potius a Sacris Scripturis discrepantia; a via veritatis recedat. Utque sciatis, in quem in die baptismatis credidistis, juxta illud Pauli: *Scio cui credidi* [1]; sive, ut sciatis, quam fidem profiteri teneatur quilibet orthodoxus Christianus, eosdem aggredientes sincero et claro sermone verae fidei professionem exponere incipiamus.

Oportet omnino, eos, qui Jesum Christum adorant, quique in nomine sanctae Trinitatis baptizati fuere, trinam Patris et Filii et Spiritus Sancti consubstantialem personalitatem, atque unam naturam, unam divinitatem, unam potentiam, honore omnino aequalem, ejusdemque gloriae confiteri: a nemine factam, nec postmodum inceptam; neque ex ignobilitate ad excellentiam evectam, aut ex infirmitate ad virtutem commutatam; sed ante omnia saecula erat, et nunc est, et in aeternum infinitum erit, increata et immortalis essentia, naturâ invisibilis, visibilis autem propter creaturas, omnia videns, a nemine autem visa. Pater est absque principio et ingenitus; Filius genitus ex natura Patris, at nescius temporis, neque humanâ generatione corruptibili ac transeunte; quod vel cogitare blasphemum foret, eo magis autem si verbis exprimatur. Sed sicut lux a luce, et ignis ab igne divisi non alienae evadunt naturae, sed unus idemque est radius lucis et calor ignis, qui generat et qui generatur, atque una est utriusque natura, quamvis unus ab altero reapse distinguatur; similiter et lux Filius a Patre luce, et ignis divinitatis Filii ab igne divinitatis Patris generatione prodiens, non sunt inter se diversi, sed

[1] II. Timoth. 1. 12.

unum idemque sunt naturâ. Generationis autem Filii exemplo carentis nullum erit exemplum, nisi generatio verbi nostri a nostro intellectu; etsi exemplum istud haud pertingat omnino rei veritatem. Et ideo Verbum vocatur propter generationis incorruptibilitatem, Filius autem, quia ex naturâ Patris, non alienus ab eo, ut blasphemabat Arius. Ita ut ad intelligendum, quod nequit intelligi, nihil aliud agendum est, nisi credere, quae dicunt Sacrae Scripturae, haudquaquam, quod scrutari nequit, scrutantes; incomprehensibilem quippe menti, et ineffabilem linguae divinam appellant generationem [1]. Ita et Spiritus Sanctus dicitur a Patre procedens [2], et ejusdem gloriae cum Filio; Deus perfectus sicuti Pater et Filius. Una voluntas in tribus personis, una virtus, unaque potentia creatrix. Pater creare voluit creaturas visibiles, ac invisibiles; Filius ex nihilo illas eduxit; Spiritus Sanctus suâ sapientiâ exornavit [3].

Idem autem verbum Dei, quod hominem formavit ad imaginem suam, et post praevaricationem apparuit ei, cunctisque prioribus justis Noe, et Abraham, Isaac, Jacob, et Job, Moysi, et Aaron, Josue, et aliis Prophetis, alloquens eos; novissimis diebus ab Archangelo Gabriele annuntiatum in utero Virginis Mariae descendit, et ex illius substantiâ corpus, animam, et mentem assumens, novâ et ineffabili unione eam divinitati suae conjunxit, et in utero per novem menses crescens puer, natum est Deus et homo perfectus inconfusâ essentiâ atque indivisibili unione. Unus Christus, et una ejus persona ex duabus unitis naturis [4]; lacte nutritus ut homo, et ab Angelis glorificatus ut Deus. Qui omnia perfecit,

1 Isai. 53. 8.

2 Johan. 15. 26.

3 Ex Psal. 32. vers. 6. *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

4 Haec satis arguunt falsitatis quidquid de orthodoxa S. Nersetis fide protulit Clemens Galanus fretus narrationi, quae in *Bibliotheca Patrum antiquorum* reperitur, quoad Theoriani le-

ambulavit in mundo per annos triginta quoadusque perfectum humanitatis statum implevit; a servo baptizatus ut homo, et a Patre et Spiritu Sancto testatus ut filius Altissimi; tentatus a Diabolo ut homo, tentatorem vincens ut Deus. Esurivit, et sitivit, et dormivit, et ploravit, et fatigatus est ut homo corporis legibus sese subdens; mirabilia patravit et miracula, ut Deus perfectus, divinam ostendens virtutem. Sponte venit ad Passionem, et, qui impassibilis erat, passus est in cruce nostrâ naturâ passibili. Mortuus est per corpus nostrum mortale, qui obnoxius morti non erat, ut nostram naturam peccato mortuam vivificaret. Descendit in sepulchrum, et duplicem infernum expoliavit [1], humano spiritu divinitati conjuncto libertatem reddens animabus ibidem clausis. Deinde resurrectione sui corporis divini nobis resurrectionis naturae nostrae mortalis a corruptione mortis spem faciens, tertiâ die resurrexit a mortuis propriâ auctoritate, et apparuit duodecim Apostolis, et septuaginta, et quingentis, et aliis multis, qui testes fuere, et praedicatores per orbem terrarum, *per dies quadraginta apparens eis, et loquens cum ipsis* [2]. Expletis autem quadraginta diebus elevatus est in coelum et sedet ad dexteram Patris in excelsis, nostrâ naturâ minime a suâ Divinitate separatâ: et inde veniet cum eodem corpore in glo-

gationem ab Imp. Manuelo Comneno ad Nersetem missi, ut de duplici in Christo naturâ cum eo ageret. Hinc D. Villefroy, quum hujusmodi verba in Epistola legisset, ait: « Comment concilier » ce témoignage, que Nerses donne de sa catholicité sur ce point » dans cette lettre, qui est sans contredit de l'an. de J. C. 1166 » ou 67 avec le récit de la légation de Théorien, qui assure, que » le philosophe Théorien alla en Armenie en 1170 de la part » de l'Empereur Manuel, pour convaincre *Norsesis*, c'est a dire » *Nerses*, sur la nécéssité de croire deux natures en J. C. et » le porter a se réunir a l'Eglise Greque sur ce chef, et sur » bien d'autres? »

1 Duplicis inferni nomine intelligit, S. Doctor et sepulcrum et limbum, ex quorum primo mortuo Christo *multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt;* ad alterum vero descendens antiquos Patres consolatus est suâ praesentiâ, ut omnes norunt.

2 Act, 1. 3.

riâ Divinitatis suae et Patris, ut revocet mortuos ad vitam, et judicet mundum in justitia, iis, qui bona egerunt, bonorum donans haereditatem, regnumque immortale; eos vero, qui mala egerunt, aeterno pudore, ac supplicio, juxta ipsorum opera, afficiens.

Haec itaque verae fidei professio fundamentum est divini templi quod est in nobis; bona autem opera sunt aedificium huic fundamento superimpositum: quemadmodum et Dominus Petri professionem, ut petram, posuit intellectuale Ecclesiae suae fundamentum, seipsum vero ut opificem, bona autem suorum electorum cujuscumque nationis opera veluti constructionis materiam, loco lapidum, lignorum, ceterarumque rerum, quae ad hoc requiruntur. Item, ille est veluti architecton, nos vero veluti operarii jussa ipsius adimplentes, secundum quod dixit discipulis; *Sine me nihil potestis facere* [1]. Scribit et Paulus: [2] Ego sapientiam Dei *posui fundamentum, quod est Christus*, et vera in ipsum fides; *alius autem superaedificat:* ii nempe qui venerunt, quique venturi sunt in mundum; aedificatio autem (*perficitur*) per quaelibet uniuscujusque opera, sive bona, sive mala.

Si quis super hoc fundamentum superaedificaret aurum, quod est justitia et veritas; argentum, quod est mentis puritas et cordis sanctitas; lapides pretiosos, qui sunt speciatim variae virtutes, charitas, humilitas, misericordia, injuriarum oblivio, jejunium, oratio, temperantia: hae, iisque similes sunt pretiosissimae gemmae ab justis superaedificatae super fidei fundamentum. At, qui diligunt iniquitatem non extollunt, inquit, hisce pretiosis solidisque materiis sui ipsius aedificium, idque super fidei fundamentum; sed vilibus, consumptuque facilibus materiis aedificant, nempe ligno, herbâ, et arundine. Lignum crassiora praefigurat peccata, homicidium, fornicationem, furtum, direptionem, iisque similia: herba, consiliorum in corde coacervatorum nequi-

1 Johan 15. 5. 2 I. Cor. 3. 10. et seq.

tiam: arundo, verba execranda significat, quae procedunt ex ore hominum praebentium linguas suas instrumentum Satanae, proximum exprobrando, pluribusque ac variis blasphemiis vituperando; quae juxta vulgarem sermonem convicia dicuntur, et Scripturarum more maledictiones, et improperia, aliisque nominibus nuncupantur. De quibus et David dicit: *Maledictione et amaritudine plenum est os eorum* [1]. Insuper et mendacium, et maledictum, et proditio, et ceteri hujusmodi sermones iniquitatis arundini similes sunt.

Horum itaque adversantium aedificiorum materiam, pretiosam nempe et vilem, *ignis*, inquit, *probabit;* Judex enim manifestabitur in igne. Si opera superaedificata super fidei fundamentum fuerint aurum, argentum, et gemmae, quae nunquam corrumpuntur, sed potius per ignem purgantur; qui ea fecerit, vivet, ac praemio donabitur. Si fuerint vero herba, arundo, et lignum, quae faciliter ab illo igne comburuntur; qui eadem egerit, multabitur. Et sane, quemadmodum sola aedium fundamenta non sufficiunt ad hominis habitationem, sed muris indiget, tecto, aliisque rebus; ita sola fides sine operibus non sufficit, ut quisquis in templum Dei semetipsum aedificet.

Et quemadmodum caput, nisi jungatur corpori, vitam nequit habere, neque corpus sine capite; ita et fides sine operibus, et opera sine fide, juxta Apostoli doctrinam, ambae mortuae sunt [2]. Quapropter vos omnes oro, ut ad fidei veritatem, quam in lavacri generatione accepistis, et nunc firmiter habetis, justitiae quoque opera adjungatis; ne uno tantum oculo, sed ambobus illuminemini. Neque vos ipsos illudite inani stultorum spe, qui dicunt solam fidei veritatem satis esse ad supplicium vitandum, regnumque (*coelorum*) promerendum. Sicut enim membrum mortuum ad corporis opera non valet; ita nec

1 Psal. 13. 3.   2 Jac. 2. 26.

fides mortua virtutem animae praestat, quin immo cruciatibus subjicit, qui eam possidet: illius instar, qui talentum servavit, nec superlucratus est quemadmodum ceteri conservi: quum fidem designent talenta, talentorum autem lucrum, opera.

Verum iis, qui nesciunt, notum faciamus cur fides sine operibus mortua dicatur. Fidei nomen unum est, at duplicem vim habet. Prima est fidei professio, quae stat in confessione Sanctae Trinitatis, quamque unusquisque per baptismum accepit. Altera est fides, qua creditur, quidquid Spiritus Sanctus locutus est per os Prophetarum, et Apostolorum, et Ecclesiae Doctorum, quodque in Scripturis Sanctis continetur, non esse fabulas aut mendacia; idque ita verum justumque habere, ac si propriis oculis, quae facta fuere, quae futura, quaeque sunt, viderentur. Facta ea sunt, quae referunt Scripturae tum veteris tum novi Testamenti; nullam nimirum visibilem aut invisibilem substantiam extitisse, omniaque jussu Dei creata fuisse; referunt praeterea mirabilia et miracula a Deo post creationem patrata. Futura autem ea sunt, quibus testantur (*Scripturae*) bonis felicitatem et praemium, improbis autem cruciatus et ignem aeternum mansurum. Illis tandem, quae sunt, haec intellige, quae in omnibus verbis suis declarant (*eaedem Scripturae*); Deum haud longe esse, sed unicuique nostrum adesse; cognoscere quidquid homines in mente cogitant sive bonum sive malum; audire absque erroris periculo quidquid ore loquuntur; aperte intueri quidquid corporis actionibus agunt in abscondito, quoniam *non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus* [1]. Qui haec igitur ex toto corde credit, hic est, qui vivam habet fidem, qui nunquam audet vel in corde malitiam cogitare, vel ex ore malitiam proferre, vel operibus peccata patrare. Nam si ex praesentia unius ab impietatibus perpetrandis homines coercentur;

1 Hebr. 4. 13.

si quis credat, Deum intueri, quomodo aut aliquid turpe loqui, aut malum sponte peragere audebit? Qui solis igitur verbis, non autem operibus, Deum confitetur, hujus fides mortua comperitur.

Quum itaque una cum multiplicibus nominibus ministeriorum Nobis a Deo commissorum ad hujus Sanctae Sedis administrationem et nomen quoque medicinale habeamus et officium; ideo quemadmodum medicus causam agnoscens doloris aegroti, eum a noxiis abstineri jubet, atque pharmacum salutare cibumque sumere; ita et Nos, curam hujusce Universalis Christi Ecclesiae tenentes, mentis oculo videmus, si non omnes, saltem majorem mundi partem propter opera mortua mortuam habere et fidem. Quare, medicorum more, volumus unicuique laethalem infirmitatis suae causam ostendere, nec non salutiferam animae medicinam: quam si absque nausea bibatis, expurgetisque Confessione ac Poenitentiâ atrae bilis amaritudinem, misericordiâ Dei bonisque ab eo promissis digni efficiemini. Quibus vero dicta Nostra non placebunt vel ob desidiam atque iniquitatis amorem, vel ob contemptum Nostri, his cum Propheta dicemus: *Qui nocet, noceat adhuc; et qui justus est, justificetur adhuc* [1]. Nos, quod jubemur, aliis praestabimus, elatâ voce, ut speculatores e sublimi speculâ, praeceptum Dei in aures vestras ingerentes; post haec autem ad liberam uniuscujusque voluntatem vel agere, vel non agere pertinet.

Verum, nemo credat de Nobis, quod incolumes a peccati morbo Nosmetipsos existimantes, vobis solummodo, utpote aegrotis, hoc medicinale pharmacum praebeamus. Quin immo sciat unusquisque, quod Nos prae ceteris spirituali sanatione indigemus. Attamen sicut stulti infirmi est, salutare pharmacum sibi ab aegroto medico porrectum recusare, propterea quod et ipse morbo laborat; ita sapientis

1 Apoc. 22. 11.

est non curare utrum medicus sanus sit, nec ne, sed potius utilitatem perpendere medicinae utrum sit salubris, an noxia.

Nolite igitur spernere ac detrectare ob Nostram indignitatem, spiritualemque deficientiam, sed sumite salutare animae remedium, quod vobis propinamus: accipite, quaeso, libenter, non propter Nostram gloriam et honorem, quem a nullo exposcimus, etiamsi fuissemus digni; sed propter amorem Christi, qui nos ad suum regnum et gloriam evocavit. Et quamvis Nos indigni simus, digna tamen sunt, ut excipiantur, verba, quia divina; quae profecto, quum operibus vacabitis, excipietis. Et ideo invicem oremus: Nos pro vobis, quasi caput pro corpore, ut diligenter semen hujus divini verbi accipiatis, et fructum Deo afferatis aliqua ex triplici fertilitate, quam bona et foecunda terra habebat [1]: Vos autem pro Nobis, quasi corpus pro capite, ut sanemur ab animae vitiis, et ab infirmitate sensuum Nostrorum roboremur. Ut pote, si qua in Nobis erit trabs oculos Nostros caligans, eam prius ejiciamus, ut videre possimus, ac proinde ejicere aliorum festucas; necnon aperire ad divinae vocis sonitum clausas aures, eique viam pandere, mulcere nares immortali effusi nominis oleo [2], esuriens ac sitiens reddere os pane vitae, atque saturare insatiabili justitiâ et sapientiâ, linguam denique efficere ministram verborum, quae Deo sint gloriae causa, audientibus autem aedificationis; atque fieri, juxta praeceptum Domini, sal putridis, caecis vero, lumen, prius Nobis, deinde aliis. Quamobrem utrumque hoc proponimus auditoribus sub variante specie; radium splendentium verborum iis, qui spiritualiter fulgent, iis autem, qui obscurati sunt aut putridi, juxta salis exemplum, pungentem objurgationem. Nunc itaque exordiamur, ad digniores primum dirigentes praesentem sermonem.

1 Matth. 13. 8.

2 Cant. 1. 2.

Ad Monachos cilicio indutos, qui degunt in Coenobiis [1].

Primum itaque vos alloquimur, o Monachi, qui perfectionis vitam ducitis, in Coenobiis et Monasteriis degentes; vos, qui vestris precibus, rectâque vitae ratione estis mundi columnae, et contra inimicum moenia; angeli carne induti, et astra in terrâ splendentia, ex quorum bonâ ac fulgenti vitâ semper glorificatur Pater vester coelestis. Qui sane per sacram Scripturam semper ad aures vestras pulsantem edocti, humilibus Nostris verbis non indigetis. Attamen, quemadmodum servi a dominis jussi communem victum distribuere non tantum famelicis tribuunt, sed etiam saturis; ita et Nos, quia jubemur a Domino cunctis conservis nostris verbum vitae praebere, universim debemus illud dispensare sapientibus et insipientibus, virtute praeditis ac destitutis.

Propterea vos omnes oro, ut non obscuretis, pietatis ac sanctitatis oleo deficiente, lumen vestrae lampadis fidei; sed semper ardente in animabus vestris virtute inextinguibile servetis radium divinitatis. Ne, quaeso, ob terrenarum rerum amorem in animabus vestris frigefiat amoris Christi ignis, quem ipse accendit in terra, et voluit, ut illico arderet. Ne detis locum in cordibus vestris alieno cupiditatis igni, neque per ipsum orationis ac mystici sacrificii divini incensum Deo cremetis, quemadmodum filii Aaron, Nadab et Abiu [2]. Sed prius unusquisque Confessione purgetur a cogitationibus et operibus immundis, sicque per virtutem semetipsum Deo viventi consecret *hostiam viventem* [3], et postea ad Purissimum accedat, et Sanctitati Sanctorum inser-

1 In MSS. reperitur tantummodo. *Ad Monachos in Coenobiis.*
2 Lev. 10. 3 Rom. 12. 1.

viat; ne, quemadmodum illi, in hac vitâ homo interior molesto angentis conscientiae igne, in alterâ vero inextinguibilibus flammis cremetur. Ne quis vestrum salis statua fiat, quemadmodum uxor Loth, propterea quod ad saecularia negotia, ad vitiorum voluptates, aut ad terrenas cupiditates revertatur. Nam sicut illa post supplicium non fuit idonea ad condiendas dapes ut sal, quia petra erat, neque ad aedificandum, quia erat sal; eodem modo quisquis de mundo exiit (sicut Loth de Sodoma), et ad monasticum ordinem, qui angelicus est, fuit evectus (sicut ille cum suis pergebat ad montem comitantibus Angelis), et iterum ad mundi amorem revertitur, ac in peccati sordibus volutatur (sicut mulier illa, quae facie ad Sodomam respexit); iste neque Deo utilis est ut Monachus, neque ad mundi legem est aptus ut laicus, sed est contemnendus et inutilis, ab hominibus conculcatus, ut sal insipidus. Quoad Vos autem, qui in divinis rebus immutabiles estis [1] *omnia*, juxta Apostoli doctrinam, *honeste et secundum ordinem fiant* [2]*:* qui etiam rursus ait: *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes* [3]. Et iterum: *Conversationem vestram inter Gentes habentes modestam* [4]. Itaque nemo vestrum sive ore male loquendo, sive operibus indigna faciendo coram extraneis causa sit, ut eorum os, in quo nulla est custodia, aperiatur ad contemnendam fidem sanctam, et Ordinem nostrum: dupliciter enim isti judicabuntur: primum ob peccatum vel verbi vel operis; deinde, quod majus est, ob scandalum, cujus causa fuere.

Nemo e Coenobitis, communem societatem relinquens, solus habitet, non ad poenitentem vitam Anachoritarum more agendam, sed propter avaritiam, ut solus nempe laborum suorum fructus percipiat, potiusquam cum Communitate dividat; ex

1 idest: *constanter perseverantes.*
2 I. Cor. 14. 40.
3 Colos. 4. 5.
4 I. Petr. 2. 12.

quo grave damnum animabus oritur, dum in Communitate e contra magna exurgit utilitas, quemadmodum Doctorum verba demonstrant. Etenim apud plurimos plusquam timor Dei, timor ruboris coram soeiis vim habet ad removendum mentis desiderium a mala voluntate peccati perpetrandi. Nascuntur insuper et alia multa commoda ex mansione cum fratribus, de quibus inutile existimo sermonem instituere ad vos, qui ea non ignoratis.

Sunt praeterea inter Monachos nonnulli molles atque mundum diligentes, et hujusmodi, ut non corde tantum, quemadmodum veteres Israelitae, ad tenebrosa Aegyptiorum opera revertantur, verum etiam eos superent, reapse per rura et civitates inter saeculares conversantes in verbis execrandis, in operibus malis, in turpibus helluationibus, in lascivis ebrietatibus, et in alia quacumque absurditate. Opus esset ac deceret, quod, si Coenobitae aliquando habitaturi in civitate necessario fuissent, splendori essent civibus divinâ justâque conversatione, ut glorificaretur, non autem blasphemaretur Dei nomen. Hos itaque [1] potiusquam detineamus, ut pergant hortamur; bonorum enim exemplo multi fiunt boni, quemadmodum propter aemulationem multi fiunt mali malorum conversatione.

Jussu itaque Dei et Nostri sit istud veluti canonica lex super ceteros, ut suam habitationem deinceps in Coenobiis transferant, suamque mutent conversationem, utque vivant, sicut illorum gradus postulat, in poenitentiâ et honestate usque ad finem. Si quis vero eorum non audierit divinam hanc legem, quam scripsimus, nec exierit de civitate, sed pervicax in ipsâ commoratus fuerit ad mortem usque; Nos nullam habemus partem in ipsius perditione, ille sui sanguinis reus erit coram Deo. Verum Sacerdotibus praecipimus, quod, si quis horum in civitate fuerit quum dies advenerit mortis illius corpo-

1 Rationali de causâ inter saeculares conversantes.

ris, illiusque animae simul, privetur Communione, et legittimâ [1] sepultura; multo magis autem illi, qui semper impoenitentes fuere usque ad mortem. Si quis autem horum morti proximus poenitentiam egerit, et cum lacrymis postulaverit communionem ac sepulturam, fuerintque illius promissionis conscii testantes, ipsum in mente suâ statuisse e civitate exire, nisi mortis dies advenisset; huic miseratione divinâ Viaticum [2] concedatur, nec non legittima sepultura, non tamen ut Sacerdoti vel Monacho, sed sicut cuicumque alii e saecularibus. Nemo tamen omnes omnino Coenobitas in mundo decedentes aequales esse credat. Sunt enim multi, quibus ad civitatem peregrinatione venientibus mors obviam fit, et alii, qui quum sint senes ac debiles corpore non reperientes in Monasteriis subsidium [3] rectâ et irreprehensibili vitâ in civitate commorantur. Isti, eisque similes, quando finis advenerit, honore debito, ut Dei servi, sepeliantur.

Admonemus insuper justorum societatem adversus novam consuetudinem, quae in Monasteriis nostri temporis cernitur, ubi unusquisque Coenobita agricola est, sicut ruri; quod dedecet Coenobitarum gradum, atque a priorum Sanctorum Patrum praeceptis abest. Illi enim, quum haberent in mundo haereditatem ac bona, ea ultro reliquerunt, relinquendaque praeceperunt, et accipientes virtutis Crucem secuti sunt Christum, quemadmodum vel ipse imperaverat diviti: *Vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et tu accipe Crucem tuam, et sequere me, et habebis thesauros multos in coelo* [4]; et iterum: *Qui vult venire post me, et non renuntiat omnibus, quae habet in mundo, et non bajutat crucem suam quotidie, non potest meus esse discipulus* [5]; et alia quoque multa hujus generis praecepta Evangelica habentur pro iis, qui illius esse volunt discipuli, qui

1 seu *Ecclesiasticâ*.
2 ad verb. *extremus cibus*.
3 idest *curam infirmitatis*.
4 Matth. 19. 21.
5 Matth. 16. 24. Marc. 8. 34. et Luc. 11. 33.

estis vos. E contra hisce diebus multi Monachi sunt, qui dum in mundo absque possessionibus erant, principibus capitationes solventes, pauperes pecuniâ, et necessariis indigentes, quum religiosam vestem acceperunt in Coenobiis, facti sunt plurium possessionum domini, facultatibus divites, nec tantum non indiguerunt amplius necessariis, sed praeterea supervacaneis affluunt; quique in civitate curis et laboribus fracti, hîc absque curis pinguescentes commoditatibus indulserunt. At quomodo talis quispiam potest imitator esse discipulorum, et dicere cum Petro: *Domine ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* [1] quum manifeste appareat nihil eum reliquisse pro Christo, quin immo et quod non habebat adversus Christum assecutum fuisse. Et quoniam omni tempore divina praecepta posita sunt relate ad accipientium virtutem, levia debilibus, ut ea ferre possint, difficiliora fortibus utpote ea libenter adimplentibus; Nos quoque istud sequimur exemplum. Nam multos videmus in divino amore arescentes, qui haud vero zelo moventur unus prae alio ad sublimes exercendas virtutes, quemadmodum primi Patres; sed illorum zelus ad res fertur ipsis oppositas: si vites nempe in ampliori ac uberiori loco prae fratre positae sint, si sapienter novas nutriat arbusculas; et potiusquam virtutis artem alter ab altero discat, artem discunt inexperti a peritis vinearum excolendarum. Oportet, ajunt, hac illâve ratione laborare per boves, et manibus effodere, ligone, batillo; radices avellere arbuscularum herbarumque noxiarum. Quum oporteret ex nobis prius adversa eradicare virgulta, quae sunt in nostra vita et moribus, ac postea externorum curam habere. Insuper et modus putandi varius est apud peritos illos in unoquoque plantarum genere; putant enim nonnullas prope truncum, alias a longe; in quibusdam paucos ramos relinquunt, in aliis plures:

1 Matth. 19. 27.

haec omnia vero ut magis fructum afferant, et vini mensura multiplicetur. Inoculandi inventa praetermitto, alter alterum solertiâ et sollecitudine operandi antecellens, adeo ut quum diei tempus cuidam ad laborandum non sufficiat, ad multam noctem protrahat opus. At istud potius agendum erat in vineâ divinorum praeceptorum, diligentiâ et voluntate in eâ operando, ad quam per predicatores vocati sumus, et in quâ per fidem ac religionem operari incepimus, promissâ ad occasum vitae nostrae solutione denarii regiam referentis imaginem in nobis a Deo insitam, ut scilicet juxta pollicitationem *similes Ei simus* [1].

Praeterea quum e diversis locis Monachi vinearum possessores unus in alterum incidat, post salutationem haud se invicem interrogant circa animae salutem, vitiorumque morbos necnon circa Diaboli pugnas aut pacem, nec quomodo lacrymarum donum tempore orationis lucrari possint; sed sciscitantur: Quomodo, frater, hoc anno se habet plantarum tuarum fructificatio? multa ne, an minima?— Ille autem moerenti animo respondet: Heu quid dicam de calamitatibus, quae contigerunt? aliae a vermibus corrosae, ex aliis flores cecidere, in aliis, quum a sole urerentur, racemi exsiccati sunt, magnaque pars marcescens corrupta est. Et quid faciam? nescio remedium hisce malis afferre — Socius autem consilium praebens eum adhortatur, ut arbores, quae fructus amittunt, inserat, ac ceteris multifarie a contractis morbis mederi experiatur. Quoniam vero multos cernimus inter hujus aetatis Monachos, qui materialium rerum desiderio compulsi difficile putant ab hisce onerosis curis se se exonerare atque sequi monita Christi jubentis, non oportere *ut solliciti simus de victu aut vestimento* [2], multo magis ergo de superfluis; ideo et Nos hujusmodi Coenobitis haud imponimus legem ab agricultura

1 I. Johan. 3. 2. 2 Matth. 6. 31.

abstinendi, atque ab adipiscendis quibusvis opibus, sicuti Christi discipulos decet, ne tristes vultum vertant ad Occidentem [1], quumque nostrum audierint admonitionis verbum, aegre ferentes, quemadmodum et ille dives [2], discedant. Sed alteram, quam in hisce rebus agendi rationem Deo gratam esse existimamus, istanc vobis ut legem imponimus. Si primum ergo praeceptum dedignamini, omnia (*nempe*) propter Deum relinquere, vosque mundo libenter exui antequam eo invite exuti in sepulchro collocemini; alterum aequo animo accipite. Quod si ex corde perficietis, certi sumus, quod Dei misericordia, sicut primi, alterius quoque executionem accipiet, et perducet vos, ut ad primum libenter, non coacte, ascendatis: id autem est, quod sumus dicturi.

Ex omnibus, quae possidetis, sive arbores sint, sive aliud, auferte avaritiae vitium, tamquam herbam noxiam ex bono tritico, et vester in eis labor nequaquam sit ut divitias congregetis, sed ut voluntatem Dei impleatis, ac terrena in coelo thesaurizetis, ita ut ex corporali labore spirituale thesaurum cumuletis.

Et quae dicimus, sic disponite, ut possessio vestra sit ad Dei placitum. Tempore fructuum date de frugiferis vestris partem aliquam Deo in manibus pauperum egentium; nec vacuos dimittite petentes fructus, ne Deus quoque vos e suo paradiso a se praeparato inanes dimittat. Sin autem datis, non transverso oculo, nec irato animo, nec indignantibus verbis, Cain sacrificii instar, quod minime Deo placet, quin immo indignationis fit causa; sed potius hilari voluntate, sicuti Deus cupit et postulat. Etiam tempore vini Deo ipsius portionem largimini; quum

1 *Vultum ad Occidentem vertere* idem est ac si diceres, *ad malum flecti.* Inde autem haec dicendi ratio inolevit, quod Orientalis plaga bona haberetur; et mos erat antiquis Orientem versus preces fundendi, altaria extruendi etc. Ab ortu enim venturus Christus justitiae sol passim promittitur in Scripturis. E contra tenebrosus ac malus habebatur Occidens, ut videre est apud plurimos Antiquitatis indagatores.

2 Matth. 19. 22.

vero supererit plusquam opus est vobis, et venundari oporteat, de illius pecuniae pretio magis magisque fructum Christo afferte, egenis dantes et captivis; et ne congregetis illud super terram sperantes, vestra bona post mortem Deo pro vobis aliorum manibus largienda fore. Minima enim est, ne omnino inanem dicam, hujusmodi spes; estque secundarium bonum, non primum, sperare, se aliorum manibus liberalem futurum fore de propriis rebus, si, quum earumdem potestatem habeat, attracta sit manus propria. Incertum est etiam, talem virum inveniri posse, qui cum timore Dei distribuat bona juxta defuncti mandatum: multis enim Deum non timentibus spiritualis ruinae occasiones fiunt mortui opes, universa quum possident dissipantes prodigâ et effreni vitae ratione; quod fit damni, potiusquam salutis causa possessori. Omitto, quod etiamsi vir prius adsit, qui universa defuncti bona, juxta Dei voluntatem, distribuat pro ejusdem animâ ac peccatorum remissione, parvum imperfectumque bonum est: quodque verum esse ex Sapientis verbis ediscimus, ubi ait: *Foeneratur Domino qui miseretur pauperis* [1]; et nemo ignorat, quod alii foenus non redditur nisi foeneratori. Et ideo vos oro, ne alicui committatis, sed vos ipsi vestris manibus mutuo in manu Dei commodate, ut vos foeneratores agnoscens, qui mutuo accepit, Deus, in die pro retributione statuto solutionem mutui in manibus vestris persolvat. At, si bonorum vestrorum alius fuerit foenerator, ipsemet a Deo mercedem recipiet, et vobis fortasse pars una misericordiae per rerum vestrarum administratorem solvetur. Idemque ostendit vel ipsa Dei vox, quam erga illos, qui ad dexteram erunt, e publico tribunali proferet: non enim dicit (*in Evangelio*): *Esurivi*, et alii pro vobis dederunt mihi manducare, aut *nudus eram*, et alii cooperuerunt me; sed vosmetipsi *dedistis mihi manducare*,

1 Prov. 19. 17.

vosmetipsi *cooperuistis me* [1]. Et quamvis haec sit prima Christi voluntas primumque mandatum, ut, juxta praedicta, nunquam Monachus bona possideat, ne terrenis implicatus negotiis divinas virtutes, quae spirituales curae sunt, negligat, pluribusque sollicitudinibus sese subjiciat, sed a communi vita habere debeat cibum ac vestimentum, juxta Apostoli praeceptum, iisque contentus sit; attamen quoniam id non est pro omnibus, sed pro iis tantum, qui propter Dei amorem, et non aliâ de causâ, odio habuere mundum, atque de mundo egressi sunt; ideo et Nos iis Monachis, qui amphibiis animalibus assimilantur, quippe qui terrestres sunt propter habitum, et maritimi ob occupationem in mundi hujus mari, mundanorum ipsis, non coelestium, leges imponimus. Enim vero, tanto majus est pauperem pro Christo esse potiusquam pecunias habere easque pro Christi mandato pauperibus elargiri, quanto Christus major est homine, qui pauperis in Christi personâ miseretur. Ultroneus namque propter Deum pauper similis est Christo, quem pro nobis pauperem factum esse Scriptura testatur. At, qui pauperis miseretur, Christi amicus, non autem Christus, vocatur. Et quoniam Christus prorsus fieri, omnibus nempe libenter pro Christo abrenuntiando, difficile est cunctis; haud tamen dico impossibile. Qui enim volunt, etiam possunt; idque manifestum fit ex multorum omni tempore hujusce operis adimpletione. Vos igitur, qui pecuniam adepti estis, gradum saltem amicorum Christi arripite pauperibus miserendo, quemadmodum vel ipse Dominus jussit: *Date eleemosinam, et omnia vestra sancta sunt* [2]; idest quum de adeptis bonis partem pauperibus largiamini hilari absolutâque voluntate, quod supererit sanctificabitur vobisque innocuum efficietur, neque ut avari judicabimini propter possessionem adeptam, sed misericordiâ apud Deum, utpote benefici, digni

1 Matth. 25. 35.

2 Luc. 11. 41.

efficiemini, juxta Domini nostri verbum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*[1].

Verum et hoc dicamus: praecepta, quae Monachis dantur, ut nimirum pecuniâ ceterisque rebus careant, etsi imponantur ne saecularibus negotiis distrahantur, sed spiritualibus tantummodo vacent; attamen vera causa haec est, ut Monachi non solum non abundent escis et potibus et vestibus, sed et necessariis indigeant, ut in concupiscentiae bello, quod adversus purissimam virginitatem geritur, victores evadere possint. Ii enim, qui sese indiscriminatim helluationi aut ebrietati dedunt, quamvis fornicationis daemones[2] ad vitia pertrahentes non habeant, ciborum copia satis materiae per ingulviem flammis concupiscentiae praebet, ut eos ad peccatum perficiendum inducat. Quare vos oro, etsi multum cibi potusque semper prae manibus ac domi habeatis; attamen animabus vestris parcentes ne iisdem avariter aut avide utamini, sed moderate ac regulariter, juxta religiosorum morem; et quod vobis detrahitis propter observantiam divini praecepti, hoc libenter adhibete in subsidium fratrum egentium ac inopum; ex quo duplex bonum animabus vestris comparabitis, temperantiam videlicet erga vos, atque misericordiam erga egentes.

Nemo sit in vobis, qui religioso indutus habitu vino plus aequo indulgens, ebriosorum convicia in Sanctum Ordinem attrahat: nam propter unius perversitatem omnes ejus sodales a saecularibus et ab infidelibus aspernabuntur. Et quamvis in reliquis potuissent hujusmodi homines irreprehensibiles esse, propter eorum ebrietatem non intrabunt in regnum coelorum, juxta Apostoli verba, qui ait: *Nolite errare: neque rapaces, neque homicidae, neque adulteri, neque masculorum concubitores, neque ebriosi*, et alia, quae sequuntur, *regnum* Christi et *Dei possidebunt*[3].

1 Matth. 5. 7.
2 Idest *mulieres.*
3 I. Cor. 6. 9. 10.

Si enim, quidquid saecularibus ipsis vetant libri sancti, ii operentur, qui bonitatis exempla praebere debent aspicientibus, quid spei erit saecularium (*corrigendorum*)? aut quis audeat in eosdem ob prava eorum opera reprehensionis verba convertere, quum plures quorumdam religiosorum perversitates objiciant? At non de omnibus haec dicimus; vestrum enim plurimi ob Dei amorem ne pane quidem et aquâ saturantur, nedum supervacaneo cibo et potu utantur. Pro indocilibus tamen et socordibus haec dico, ut vos ipsi, qui perfecti estis, eos, qui licenter vivunt, admoneatis, ut corrigantur. Verum qui pervicaces vitâ molli ac perditâ usque et usque procedunt, postquam eos pluries admonueritis, et non audierint, abscindite ab Ecclesiae corpore, insanabilia membra; ne *modicum fermentum totam massam corrumpat* [1], quum scelus sit scelerum exemplar. At si quis e fratribus talem protegat ob corporalem amicitiam, vel propter benevolentiam, ut nempe membrum vitio laborans unâ cum sanis servetur, arroganter quod dedecet operando, morbi causam proximis afferendo, in eis animae suae malum transfundendo, leprarum instar, suam ipsius animam ceterorumque, qui cum eo sunt, perdentium; qui (*inquam*) hunc protegit, coram Christo respondet, sive sit Superior, sive unus e fratribus. Si enim jubet Dominus dexterum oculum eruere, dexteramque manum ac pedem abscindere [2]; quid dicendum de iis, qui simul servant et scandalizatos et scandala praebentes, cum damno utriusque animae, aegrotis sine timore malum perpetrantibus, sanis vero scandalum patientibus ac murmurantibus? Si tamen postquam discesserit, poenitens per Dei gratiam resipiscat, ac verâ poenitentiâ, non fucatâ, sanetur; iterum in unionem valentium Christi membrorum recipiatur.

Praeterea et hoc praecipimus, quod, si fieri potest, instabilem immutetis consuetudinem e Coeno-

1 Galat. 5. 9. 2 Matth. cap. 5. et cap. 18.

bio in Coenobium migrandi, quoniam futilibus de causis suum relinquere Superiorem suosque fratres, inconstantiae est nota. Enim vero, animae detrimento excepto, propter quod jubent Canones relinquere et abire, loci transmigrationem ob terrenam causam haud sinunt. Idcirco nostrae nationis Monachos plures cernimus, immo, paucis demptis, fere omnes pervicaces atque Superioribus inobedientes. Quum enim Superior, vel Praeceptor, vel e senibus quispiam aliquem aspiciat operibus aut verbis, quae Monachos dedecent, distentum, reprehensionisque sermonibus eum corripiat; mox ille irato corde, veluti servus dominum aufugiens, noctu abit divinam admonitionem declinans. Et quoniam timet Superior, ne, abeuntibus fratribus, desit fortasse in Ecclesia ministratio; hac de causa fit omnibus inobedientibus Monachis indulgens, eosque in vitae ratione insanabili, atque in operibus inobedientiae pervicaces relinquit, et ideo ad mortem usque inemendabiles manent ac improbi. Pejora autem sunt stultissima verba, quae admonentibus, ut vagari desinant, respondent. Deus, inquiunt, liberos ac libero arbitrio praeditos nos fecit; curnam ergo libertatem nostram hominum servituti subjiciemus? -- Sed utinam libertatem, quam Deus naturae nostrae donavit, recte adhibuissent, ut a vitiis videlicet soluti essent. Mala et exitiosa est peccati servitus, quemadmodum Christus ait *Qui facit peccatum, servus est peccati* [1]; at servitus Dei, et Ecclesiae propter Deum, et Superioris propter Ecclesiam, justitia est, non peccatum; quod vel ipse Apostolus praecipit: *Subjecti invicem in timore Christi* [2]; idemque innuit Christus: *Quicumque voluerit primus esse, erit omnium servus* [3]. Scribit et sanctus Basilius inter regulas ad Monachos: « Omnis abstinentia et virtus ei, qui Su-

1 Johan. 8. 34.
2 Ephes. 5. 21.
3 Marc. 19 44.

» periori obedientiam non praestat, inutilis est, et » ad nihilum valet [1] ».

Nemo e fratribus pro quavis causa de Superiori suo conqueratur, etiamsi juste; ne praemium, quod a Deo est, amittat, et cum primis vineae operariis, quoniam questus injustos contra dominum protulit, arguatur [2]. Nam si carnales servos jubet Apostolus dominis carnalibus obedire *non ad oculum servientes, sed in simplicitate cordis*, sicuti Deo, *ut a Domino*, inquit, *accipiatis retributionem* [3]; quanto magis a vobis spiritualibus non postulabit Deus, ut prae illis obedientiam, patientiam, simplicitatem spiritualibus Ecclesiae Superioribus ostendatis? Non enim solummodo propter jejunia, orationes, aliasque similes virtutes Deus reddet mercedem laborum operantibus in vinea praeceptorum suorum; sed magis magisque illi, qui operibus, laboribus, ceterisque rebus Ecclesiae fidelis est. At de furibus et avaris, et raptoribus prae saecularibus in hisce criminibus deprehensis maxime judicat Deus, quemadmodum et de servo, qui voluntatem domini agnoscit, prae illo, qui eam ignorat [4]. Etenim exempli gratia, sicut immundi vermiculi in cibis potibusque mundis dilapsi, ibique suffocati, eosdem corrumpunt; ita, quum ad justum laborem manus furum pervenerint, eorum benefacta erga animas suas, sicuti mures, suffocantur, comparataque bona per injustitiam coinquinant. A quo vos oro ut caveatis, purasque servetis manus a noxiis malis maledictionem in hominem inducentibus: graviores enim maledictiones propter cetera peccata haud injiciuntur in Ecclesia quam propter furtum. Neque istud in peccatorum serie parvum quispiam existimet, quoniam in lapidea tabula legis Dei digito scriptae tertium est hoc praeceptum post homicidium et fornicationem. Nec putet aliquis, magnarum tantummodo rerum ereptionem inter furta poni, et

1 D. Basil. in ascet. reg. ad Monach.
2 Matth. cap. 20.
3 Colos. 3. 22.
4 Luc. 12. 47. et 48.

non etiam modicarum. Agnoscat hic, quod quamvis in restitutione diversitas habeatur; quippe quod in furti solutione quadruplum a lege praecipitur solvendum [1], quadruplum vero mensurae decem denariorum, aut centum, aut mille, plus est (*quadruplo*) unius aut duorum; attamen magni et modici (*furti*), multi et pauci idem est nomen. Enim vero, illene solummodo, qui magna aufert vel plura, fur nuncupatur, annon et ille, qui parva et modica? Idem nomen quod cunctis furibus imponitur est nomen furti, idemque est valde aut parum furanti supplicium. Indicium autem nomen et improperium furti determinans hujusmodi est: quisquis manum ad quamcumque rem furandam extendit, atque oculis hinc inde perlustrat, ne dominus rei vel quivis alius aspiciat et improperetur, eamque capit; hic est fur, et quod aufert furtum. Neque sibi jus quis ascribat, furtum dicens sui laboris mercedem [2], aut aliam inanem adducens excusationem, a poenis in judicio Dei absolutum se credat. Hic antiqui exempli memor resipiscat. Ananiae et Saphirae furtum non erat ex sui ipsius labore? de alienis rebus fortasse, ut vos? nequaquam: sed ex pretio proprii sui agri, et paternae haereditatis, quam in pecuniam redegerant; atque ex eo modicum quid pro suis necessitatibus fraudantes, majorem partem ad pedes Petri posuere. Verum aspicite quomodo rectâ justitiâ a fidei Petrâ puniantur, non propter aurum, quod minime curabat Petrus, sed propter mendacium, quemadmodum et dixit: *Non mentitus es homini, sed Deo* [3]. At nostris diebus non tantum furtum cernimus, sed propter furtum etiam mendacium; nec solum verbo mendacium, sed et ingentibus perjuriis denegationem; cui peccato non datur remissio; abest enim contritio, abest confessio illi, cui furatus est: quoniam de ablatis rebus cum agitur potestatem habet furi remit-

1 Exod. 22.
2 Quia videlicet proprio labore comparata sibimet vindicavit.
3 Act. 5. 4.

tendi qui rei ablatae est dominus, non autem aliu quilibet confessarius. Quapropter, nisi ei confitea tur, et, quod ab eo abstulit, reddat (non dico qua druplum sicut publicanus Zachaeus, sed ablatun saltem) non remittitur illi in aeternum.

Sunt praeterea nonnulli inter stultos Coenobitas qui etsi externa non furentur, Ecclesiae tamen suan ipsorum virtutem ac solertiam furantur; quum sin in suis operibus praestantes et solliciti, in commu nibus vero pigri et inertes. At non effugient isti ul tionem in judicio Dei ob infidelitatem potius, quan ob pigritiam. Non enim credunt se accepturos esse a Deo sui laboris mercedem, sed ab hominibus dum taxat; quibus cum juxta eorum voluntatem Superio opportuna largiatur, vires sumunt in labore, si quic autem desit, socordiae in labore addunt etiam que stus.

Verum praeter haec, quae circa opera ex divini Litteris scripta a Nobis sunt, oramus, ut labiis quo que vestris et linguae vestrae ostium ponatis ac ja nitorem, qui a verbis egredi permittat utile et bo num, malum vero et noxium et inutile, veluti in carcere, detineant in corde, haud permittentes ment parvula gignere mala, sed potius suffocantes intra se graviditatem a Diabolo seminatam.

Nemo itaque fratrem suum judicet, ne ipse quoque a Deo, juste judicante judicetur, quemadmodum e Dominus dixit: *Nolite judicare, et non judicabimini* [1] Nemo in detractionem, licet justam, feratur; e multo minus perperam. Quam enim utilitatem fratr tuo affers de ipso apud alios detrahendo? Detrimen tum tibi ipsi attulisti dum detraxisti, ille vero nihi profecit. Si vis ei et tibi prodesse, divino utere con silio: *Corripe illum* in charitate, veluti medicamine aegrotum membrum, prius *inter te et ipsum solum* si (*te*) non audierit, coram *duobus vel tribus testibus* si neque de iis erubuerit, nec ad meliorem frugem

1 Luc. 6. 37.

redactus fuerit, *dic Ecclesiae;* et si ab Ecclesia quoque publice correptus non egerit poenitentiam, tunc *sit tibi*, justeque habeatur, *sicut Ethnicus, et publicanus* [1].

Nemo igitur e Monachis adhibeat linguam suam ad aliquem falso calumniandum, aut ad perperam loquendum vel contradicendum adversus disceptantium verba inutilibus contentionibus, noxiisque disputationibus; neque in disceptando contumeliosa proferat verba aut improperia, quemadmodum saeculares; quod non decet sanctos. Si enim Christus inutilium verborum rationem, sicut innuit [2], postulabit; quid de proferentibus indiscriminatim abominabiles perversosque sermones, et praesertim de iis, qui ad scurrilia et ridiculosa verba utuntur linguâ, quum sint similes lusoribus et parasitis, qui faciem contorquent, stulteque mussitaut in ridendo?

Quapropter vos oro: ne sint insulsa saleque carentia verba vestra, sicuti stultae plebis; sed sale condiantur, juxta Apostoli monitum: *In lucrum et gratiam audientibus estote, et ne sitis in scandalum et abominationem audientibus* [3]. Immo eadem quoque utilia et fructuosa verba vix proferantur frequentius ac inopportune ab eo qui sapienter novit loqui; ne taedio afficiantur audientes, neque bonorum verborum osores ea respuant; sed sint pauca, et haec mite et pacate.

Finem autem imponentes Nostris verbis erga Purissimorum coetum, id asserimus, quod vestrae cogitationes et verba et opera, cunctique spiritûs et corporis motus ita sint omnino honesti Deoque digni, ut nullatenus ansam praebeant blasphemiae ac vituperii in Dei nomen atque in religiosum habitum; sed potius laudem et gloriam promoveant apud videntes et audientes; ne vestrum cuiquam, sicut veteri Israeli, dicturus sit Deus per os Prophetae:

1 Matth. 18.
2 ibid. 12. 36.
3 Ephas. 4. 29.

Nomen meum blasphematur inter gentes propter vos [1]. Sed potius, fulgentibus virtutibus, digni efficiamini divinis verbis olim ad discipulos dictis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* [2].

Et haec breviter a Nobis dicta studiosis fratribus ad Dei gloriam expediant.

1 Isai. 52. 5.   2 Matth. 5. 16.

Ad Rectores Sanctae Communitatis in Coenobiis.

Spiritualis divinique verbi subsidium, utpote Comministri, demus paululum et Vobis Rectoribus, qui ad coelum properamini, quique in corpore Ecclesiae opus et ministerium oculi impletis. Nam sicut oculi exempli gratiâ hominem in cunctis motionibus ad optima et pessima perducunt, et sicut oculorum pupillae, si ab omni sorde intus dilapsâ mundae sint, acuto visu hominem in viam rectam absque errore perducunt; at si luminis canales de capite ad oculum descendentes claudantur obscuro caligine, minime videns errat, et in abyssum mortis pertrahit unâ cum seipso etiam hominem totum: similiter et Rector Ecclesiae, si fuerit duobus oculis illuminatus, scientiâ nimirum Sacrae Scripturae et virtutis operibus, puritate videlicet, sanctitate, omnique justitiâ, quam Dei praecepta indicunt; iste sicuti seipsum, ita et universam fraternitatem optime ad divina perducit. At, qui unum ex oculis habet apertum, alterum vero clausum; idest aut scientiam habet sine virtute, aut sine scientia virtutem; mancus ille est, non perfectus, ad bonum, utpote ei similis, qui unum oculum habet. Enim vero, quamvis ille, qui sapientiam habet, probe sciat justitiae semitam verbis ostendere; attamen, nisi ipsemet operibus incedat, nequit aliis, ut per eam incedant, suadere: et similiter, qui absque Scripturarum scientiâ est sanctus vitâ, etsi ipse in viam legis Dei ambulet, tamen quia nescit quomodo sapienter oporteat alios ducere, propterea multa oriuntur mala in Communitate. Qui autem ambos oculos habent in lumine obcaecatos, ignorant videlicet divinam scientiam, suntque ad omne justitiae opus desidiosi, immo contrariorum pleni, et nihilominus audent semetipsos exhibere Ecclesiae Rectores (quorum multos infaustis hisce temporibus intrusos videmus) efficiuntur isti, juxta dominicum effatum: *quum caecus caecum ducit, ambo*, inquit, *in*

foveam cadunt [1]; qui non a Deo sed a Diabolo moti ad hujusmodi regimen currunt cum detrimento sui ipsius, nec non ab ipsis ductorum. Quapropter et Nos divini verbi semen in spiritu eorum Rectorum, qui Dei lege suum regimen exercere cupiunt, seremus: qui enim a Deo exordiuntur, cum Deo utique finient; quos modo alloquimur.

Ne commissos vobis fratres negligatis quum in aliquo sive animae sive corporis periculo versantur, quoniam de unoquoque rationem estis reddituri. Ne postuletis materialium dumtaxat operum integram adimpletionem, spiritualia, quibus tenentur, haud curantes,; sed semper eos admonete, ut a malis sese abstineant, bonaque sectentur; quod et religionis habitus, et susceptus ab eis ordo omnino poscit. Ad hoc enim refertur mortuos esse mundo mundanisque rebus, et vivere Christo ejusque mandatis, juxta Pauli admonitionem. Ad excolendam namque legis vineam vocati sunt, non autem ad externarum rerum agriculturam exercendam. Et qui de hisce tantum hic occupatur, nihil vero de spiritualibus; aut materialia ex corde perficit, immaterialia coacte et fictâ apud homines specie; iste divinorum praeceptorum verba minime internis auribus percipit: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam* [2].

Decet quidem et istud operari: quoniam otiositas mala est, quemadmodum et Paulus admonet; quin immo et legem imponit: *Qui non operatur, nec manducet* [3]; quod et ipsemet implevisse ostendit, dicens: *Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus* [4]; et: *Ad ea, quae mihi opus erant et iis, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae* [5].

Verum propter opera corporalia negligere, perinde ac si essent superflua, spiritualia, nimis dedecet Verbi auditores. Quum enim sit corpus inferius spi-

1 Matth. 15. 14.
2 Johan. 6. 27.
3 II. Thes. 3. 10.
4 I. Thes. 2. 9. et II. Thes. 3. 8.
5 Act. 20. 34.

ritu; primum spiritûs subsidia, quae sunt oratio, omniaque bona opera, deinde vero corporis ac rerum corporalium quaerere oportet. Siquidem et inter homines prius vescitur dominus famulis inservientibus, postea famuli dominicae mensae reliquiis. Quoniam autem et in nobis corpus est servile, spiritus vero dominans, et mentis voluntas judex; hujus est utrumque in ordine servare: animam in primis pascere spiritualibus subsidiis corporis ministerio, deinceps corporalium rerum curam habere spiritûs prudentiâ et oeconomiâ. Hisce itaque, iisque similibus bonis institutionibus munite fraternitatis vestrae unitatem.

Item ne diligatis quosdam egregie et distinctim, alios negligendo, nonnullis vel superflua indulgentes, ceteris neque necessaria suppeditantes; sed charitas sit universalis, juxta regulam a S. Basilio impositam: « Honor iis quos decet ». Distributio autem subsidii sit juxta laboris mensuram aut abunde aut parciter. Senescentes et infirmos, qui juventutis tempus et sui ipsius vigorem ad Ecclesiae opus consumpserunt, ne deseratis utpote eo tempore inutiles, *ne quando irascatur Dominus* [1]. Nam si de extraneis infirmis, immo de inimicis jubet Christus curam et misericordiam habere, atque supplicium iis minitatur, qui eamdem non exercent; quanto magis de fratribus ac de membris Ecclesiae? Quapropter honorate et alite senes juxta Apostoli mandatum [2], et diligenter curam gerite infirmorum, eis succurrentes, atque pro viribus quidquid opus est praeparantes. Scimus quidem, annonae inopiam hisce optimis institutionibus adversari; verumtamen nihil amplius Deus postulat praeter sedulam voluntatem, et quod per nos fieri potest.

Ne sibi vindicet Superior quod Ecclesiae donatum fuit sive in Communitate viventibus, sive defunctorum memoriae; sed idem in usum Ecclesiae adhi-

1 Psal. 2. 12. 2 I. Tim. 5. 17.

beat, reddatque Communitati spirituale debitum; ne in die justi judicii donata unusquisque repetat, nihilque eo temporis ad solvendum habens, bonis ejus operibus acceptis (*aeterni judicis administri*) tradant fraudatis. Quod si primus Superior, quae suo tempore acceperat pro impensis Ecclesiae insumpsit, viris fide dignis id testantibus, nec aes alienum solvere potuit morte praereptus; alter, qui post eum fraternitatis regimen haereditavit, solvere tenetur: et si negligat, cum usuris utique coram Christo solvet. Sin autem nemo pro illo testetur, quod in usum Ecclesiae acceperat, impendisse; ipsemet, qui accepit, solvet in futurum.

Nemo suo vitio motus quodpiam donum Magnatibus offerens Coenobii rapiat regimen; quin approbationem ac veniam obtineat a sui temporis Rectore. Duae namque habentur justae causae mutandi Superiores Coenobii; vel quod adversus Dei legem indignus renuntiatus fuerit, idque ex veraci testimonio; vel quod Ecclesiae non aedificationis sed scandali sit causa. Et praeter haec si quis insurgere audebit, peccaret contra Dei mandata.

Quidquid autem de Rectoribus statutum est per verba Sanctorum Patrum ad normam admonitionemque in sermonibus, in operibus, ac in omni bonâ disciplinae formâ, satagite, ut in vobismetipsis omnem bonitatis formam ac regulam imprimatis. Quod si ad omnia implenda impares estis (quum nostra tempora quoad bonum hyemalia sint), meliorem saltem partem operibus implete; et quoad reliqua voluntatem, et poenitentiam, et deficientiae tristitiam habetote. Quum enim animum ad haec intendatis, nunquam in spiritu vestro locum sibi vindicare poterit malum bono contrarium [1]. Quare nos quoque Dominum oramus ut ductoribus ac ductis prosperum iter Nobiscum faciat ad coelestia; ut omnes digni efficiamur bonorum promissionibus in Christo Jesu Domino nostro.

1 idest *diabolus*.

Ad Rectores Ecclesiae in mundo [1] *qui vocantur Episcopi.*

Loquamur et ad vos, Episcopi sancti, qui a Deo ordinati estis speculatores fidelium animabus, quae sunt in mundo: quos etsi secundos posuerimus, Monachos antea circa rectum institutum alloquendo, juxta gradum tamen primi estis.

Vos itaque oro in primis, ut ante omnia recte cogitetis, et sapienter cognoscatis gradûs et ministerii, quod tenetis, sublimitatem; considerantes a quo initium sumpserit, cur constitueretur, et quid tandem agere jubeant ii, a quibus originem duxit. Si quis enim, ut decet, haec non ignoraverit, horum trium unum lucratus erit: vel gravitatem agnoscens hujusce difficilis ministerii, suamque considerans infirmitatem, haud sese obviam ibit libenter, quasi rei facili ac jucundae; sed, quemadmodum priores Sancti egerunt ac docuerunt, recedet, sive honoris cupiditate ducatur, sive ab amicis compellatur: vel si subeat onus, administrationem officii juxta divinum beneplacitum implere sataget: vel si, quemadmodum oporteret, non ageret, suam cognoscet in bono deficientiam suumque damnum, ideoque semetipsum juxta conscientiae vocem reum judicabit. Dicamus igitur, a quo initium sumpserit hoc munus.

Initium Episcopatûs ab Eo ipso fuit, qui, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem jurejurando accepit a Patre Sacerdotium juxta ordinem Melchisedech, non animalium immolando sacrificium, juxta Aaronis Sacerdotium, sed semetipsum offerendo Patri hostiam voluntariam in ara Crucis, ut nobiscum (*Pater*) reconciliaretur. Eumdem autem Pontificatum, quem ipse a Patre accepit eo quod morti se tradiderit in cruce pro iis, quos

1 Scilicet *inter saeculares.*

proprio sanguine acquisivit, discipulis suis donavit eo tempore quando ascendit in coelum, juxta Evangelium Lucae : *Positis manibus super eos, benedixit eos, et ipse* postea, ut dicit, *elevatus est in coelum* [1]: eos quoque hoc pacto obligans: Quemadmodum ego non deliciis affluens, sed crucem sustinens ac mortem, Sacerdotium accepi super genus humanum; ita et vobis ad mortem usque certandum est propter oves ovilis mei quas meo sanguine acquisivi. Quod praeceptum impleverunt discipuli morientes pro populo sibi a Domino commisso. Egressuri demum Apostoli Christi de mundo eligebant ex fidelibus viros timoratos ac sapientes, eosque pro seipsis ponebant populorum Rectores in civitatibus et provinciis, *Episcopos* eos appellando, quod nomen *Inspectores* vertitur. Haec de eo unde originem duxerit, a nobis dicta sunt.

Cognoscendum etiam istud ; qua de causa a Christo et ab ejus Apostolis constitutum fuerit hoc Episcopatûs officium. Hac de causa nimirum, ut praesint praecipiantque Sacerdotibus ac populis, et, speculatoris instar, vigili mentis oculo in omnes intueantur, errantes dirigant, et eos, qui recte incedunt, firmiores in ipso itinere reddant.

At quidnam jubentur esse Episcopi, quidve facere? Id Paulus declarat ad Timotheum scribens: *Oportet Episcopum immaculatum esse, sicut Dei dispensatorem, mitem, humilem, honestum, hospitalem, pium, justum, sanctum, continentem, non argenti cupidum, non litigiosum, non percussorem, sed tranquillum*, et alia quoque [2]. *Immaculatum* dicens, jubet, eum a quacumque sive animae sive corporis macula esse immunem. Per illud autem *sicut Dei dispensatorem* ostendit, quod si homines materialium bonorum immaculatum eligunt dispensatorem, qui nempe furando non defraudet, nec piger sit in curandis

1 Act. 1.

2 Hoc testimonium censuitur ex Epist. ad Tit. 1. 7. nec non ex Epist. I. ad Timoth. 3. 2.

servandisque bonis; quanto magis oportet immaculatos esse ac solertes et sagaces dispensatores domus Dei, quae est Ecclesia sancta? Non loquor de materiali Ecclesia; verum de hominum animabus, quae in templum Dei vivi aedificantur, quibus servare oportet, quantum a Dei oeconomo fieri potest, inconcussum aedificium templorum ubi Deus habitat, non sinentes diabolum, ob sui desidiam, furari de illo spirituali thesauro; neque suum, neque illorum, circa quos oeconomiae ministerium exercetur; quin immo, juxta Dei praeceptum det ipsis quotidie statis horis etiam spirituale subsidium. *Mitem*, *humilem*, *honestum*. *Mitem* dicens, monet similem esse Moysi et David, qui in veteri lege pastores erant populi Israel; ideoque pariter oportet, sicuti pastores gregem, populum pascere, non autem auctoritate illâ ac vi, quam principes saeculares exercere solent. At dicens *humilem* humilitatem commonstrat. Non enim decet Episcopum elate ac superbe sese habere erga populum subjectum, sicuti tyrannorum administri; sed mansuetudine, atque humilitate erga omnes, quemadmodum et Christus in hoc seipsum praebet exemplum: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* [1]. Atque insuper humilitatis emolumentum et superbiae damnum ostendens, ait: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* [2]. Et Paulus Timotheum admonens, ne ad Episcopale gradum ascendere sinat imperfectos spiritualis atque corporalis aetatis, inquit: *Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli* [3]. Diabolus enim contra Deum suum elatus propterea de coelo corruit, atque aeternae sententiae sempiternis cruciatibus fuit obnoxius. Et ideo humilem esse praecipit, ne eodem vitio inquinatus judicii quoque ac supplicii cum ipso particeps sit. *Honestum*: honesti nomen unum est, sed cunctis

1 Matt. 11. 29.
2 Luc. 14. 11.
3 I. Timoth. 3. 6.

animae corporisque motibus convenit honestas: verbis, non blaterando; escis et potu et vestibus, non imitando amatores mundi, sed eos potius, quibus mundus crucifixus est. Sic et in itinere faciendo ne utantur, superbiae indulgentes, insignibus ornatisque equis aut mulis; sed tantum ut debile corpus sustineatur quocumque oporteat vehi. Neque, sicut de quibusdam fertur, velocibus equis succussantes incedant, aut canibus vel accipitre ad ferarum aviumque venationem pergant; tantum enim hujusmodi opus huic gradui convenit, ac si Monachus pro cucullo rubrum pileum in capite gestaret, atque byssinâ veste pro lanâ et cilicio uteretur. Cibi quoque et potus ne sint abundanter et inordinate, sed modeste et modice, juxta Sacrae Scripturae admonitionem. Similiter et verba ne proferantur ex ore stultis jocis vel saecularium ritu, vel in alterius pudorem seu abjectionem vilia proferendo contumeliose; sed bona verba ex corde eructentur, juxta Prophetam [1], ut *in profectum et gratiam audientibus sint*, juxta Apostolum [2], non autem in damnum ac taedium, gradûsque Apostolici vituperationem. *Hospitalem esse*, sicut Abraham, et Loth, ceterique Patriarchae, qui per hospitalitatem adeo placuerunt Deo, ut excipere mererentur cum Angelis etiam Deum, quem honorificaverunt. Non autem dicit *hospitum exceptorem*, sed *hospitum amatorem* [3], propterea quod hospitalitas interdum exercetur ob aliquam occasionem urgentem, vel ob violentiam aut dignitatem alicujus, vel ad obtinendam ab honoratis laudem et gloriam. At hospitalitas cum amore ab hisce omnibus immunis est, ideoque venientes hospites non in tristitia sed hilariter excipit, et laetum ac ridentem vultum cunctis ostendit, non autem trucem

1 Psal. 44. 2. 2 I. Tim. 4. 15.

3 In Graeco enim textu habetur φιλοξένον, ex φιλός *amator*, et ξένος *hospes*. Similiter et in Armeniâ versione legitur հիւրասէր (biurasér) ex հիւր (biúr) *hospes*, et սէր (ser) *amor*, quae posterior vox in compositione *amatoris* vim accipit.

aut moestum, nec moleste ferens verba profert dura, sed laetitiae atque jucunditatis; quod prae cibis magis placet hospitibus. Quapropter Episcopis, ac Sacerdotibus, cunctisque Christianis non solum hospitales, verum et hospitum amatores esse praecipit. *Boni amantem*. Quaenam sunt bona, quae jubet amare? Haudquaquam ea, quae bona putantur, vitiis nimirum obnoxia, sive corporalia sive spiritualia, mundique negotia; sed in primis et ante omnia amare oportet primum verumque bonum, Deum, qui omnium bonorum initium et fons est; secundo amare illius praecepta, quae a Deo bonorum fonte emanant, juxta Davidicum illud: *Dilexi mandata tua super omne aurum et topazion* [1]; tertio eos, qui inter homines boni comperiuntur. At malum, quod bono adversatur, idest diabolum, et peccata, quae ab ipso seminantur, odisse oportet atque ab iis declinare, juxta eumdem David: *Iniquitatem odio habui et abominatus sum; legem autem tuam dilexi* [2]; odisse ac effugere eos quoque, qui malum diligunt, et impoenitentes, de quibus post multas admonitiones minime resipiscentibus mandat Dominus, ut fugiantur, ac veluti *ethnici et publicani* habeantur [3]. *Justum*: justitiae nomen unum est, at omnem boni speciem in se continet, qui illud possidet; quemadmodum priores justi, de quibus Deus ipse testatur, Job, et Zacharias, et Joseph, aliique multi. Juxta eorumdem exemplar Episcopus quoque debet, ait, esse justus et verax coram Deo et hominibus, et mendacii ac injustitiae expers in verbis et in operibus. *Sanctum:* primo sanctus est ille, qui est purgatus ab omni vitio, quod pugnat adversus spiritum; quippe qui nec ab initio vulneribus afficitur, neque medicamine indiget. Secundo ille est sanctus, qui etsi aliquo vulnere vitiorum jaculis afficiatur (non dico usque ad perpetrandum malum), inimico tamen semper spiri-

1 Psal. 118. 127.
2 ibid. v. 163.
3 Matth. 18. 17.

tum percutienti non subjicitur voluptatibus indulgendo, ac vitiorum consuetudinem alteram sibi naturam efficiendo; sed potius poenitentiae remediis antiqua vulnera sanat, atque orationis et jejunii armis, unà cum sensuum custodià imminentia praecavet, ne rursus vulneretur consuetis jaculis; quin immo tali ea prosequitur odio, ut eorumdem recordatio non laetitiam sed tristitiam afferat menti. Qui ergo sic se habet, in primo videlicet aut in secundo sanctitatis gradu, hic est sanctus, atque isto gradu apostolico dignus. At ille, qui libenter suis vitiis indulgens non solum adversus ea non pugnat, sed et malitiae fermentum in semetipso sedulo abscondit, et semper in anima sauciatus non declinat a plagae causa, quin immo eam amat, et potiusquam vulneris curationem quaerat, de die in diem illud renovat; iste neque est, neque appellatur sanctus, neque per Dei electionem vocatus est ad divinis inserviendum, sed a propriis vitiis, Deo sic permittente, fertur in ea ad perditionem animae suae necnon plurimorum. *Continentem:* est continentia veluti materia et sedes omnium virtutum. Nam, qui in semetipso continentiam adversus malum habet, omnia quoque boni elementa possidet; qui vero eâ caret, inconstans est in quolibet bono. Quamquam enim ad bonum aliquod inclinetur, atque exordiatur, haud tamen perficiet; illius instar, qui, *non prius cogitans, voluit turrim aedificare* [1]. Id autem sibi vult Continentia: ab omnibus, quae Dei lex nobis prohibet, abstineri, et primum quidem pravis cogitationibus minime dare locum in mente, sed per abstinentiam iis adversari, easque a corde depellere, ne forte opere adimpleantur. Eadem continentia ponenda est custos et oculis, ne a voluptate ferantur ad concupiscendas inhonestè vel invide, potiusquam mundo obtutu, Dei creaturas; item et auribus, ne libenter audiant verba exitiosa, sed utilia; sic et linguae, ne proferat sermones

1 Luc. 14. 28.

quibus utuntur profani, id enim Episcopalem ordinem [1] dedecet, sed opportuna loquatur, dignaque laude; et cordi, ne frustra irascatur, sed mansuetum sit; et manibus ne quemquam injuste percutiant, sed illae ad bonum peragendum adhibeantur, necnon in orationibus extollantur; et ori, ne intempestive ad cibum feratur, sed potius per jejunium exerceatur; et pedibus, ne in vias offensionis animarum, sed potius in vias justitiae ambulent; uno verbo nullum membrum sine continentiâ relinquatur, ne ferri possit ad mala. Haec itaque, hisque similia sunt continentiae opera. *Non argenti cupidum.* Amor argenti, quem Paulus omnium malorum matrem appellat, etsi unicuique et in cunctis hominum operibus sit noxius; imperantibus, et judicibus, et principibus, et ministrantibus, ac universis demum, qui sunt in mundo; attamen multo magis Superioribus spiritualibus. Nam in principibus mundi corporalia damna subditis infert sive injuste judicando, sive exspoliando, aut diripiendo, aut calumniando, aut furando, aut interficiendo, aut alia hujusmodi peragendo; in Spiritualibus autem, animae nocet, quia hujus vitii est exaltare indignum ad divinorum administrationem cum detrimento vocantis et vocati, dignos deserendo atque immundum sicuti sanctum, et sanctum sicut immundum existimando. Et ideo in Ecclesia innumerae sunt ordinis perturbationes Deo odibiles, de quibus inquit David in Spiritu: *Excludantur ii, qui probati sunt argento* [2]. Quapropter Episcopos jubet Apostolus non esse *argenti cupidos, non litigiosos, non percussores;* nam si Christi discipulus es, immo vices gerens, accipe illius humilitatis exemplum, quemadmodum ad suum discipulatum venientibus praecipit: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis* [3]; de quo et Isaias dicit: *Non contendet, non clamabit* [4]; et ipsemet Dominus humilibus et pacificis beatitudinem largitur [5]. Et

1 quidam legunt: *Sanctum gradum.* 2 Psal. 67. 31.
3 Matth. 11. 29. 4 Isai. apud Matth. 12. 19. 5 Matth. 5. 9.

quoniam Superior non debet esse omnino parcens et placidus, sed cum delinquentibus objurgationem adhibere, hujus quoque praebet exemplum Dominus ipse, quum, acceptis flagellis, ejecit de templo negotiatores. Quod autem de funiculis, non de solidis rebus, contextum erat flagellum, hoc admonet Superiores, in delinquentium objurgatione non esse adhibendam solummodo amaritudinem, sed et suavitatem et indulgentiam. Quamobrem addit (*Apostolus*) dicens: *Sed tranquillum.* Tranquillitatis autem modum admonitio dominica nos docet, ut scilicet placidum reddat non solum objurgantem, sed et adversarium. Acceptâ enim alapâ, porrigendam jubet et alteram maxillam inique percutienti [1]. Hoc pacto etiamsi belluis fuerit saevior, agno placidior fiet; idemque Christus non clamabat, sed *quasi agnus* ibat ad occisionem, secundum Isaiam [2]. Eamdem similitudinem debent ferre in semetipsis etiam Rectores Ecclesiae; at non coram omnibus, nec omni tempore. Nam in contemptu sui, quod ab injustis patitur, bonum est uti tranquillitate, resque est praemio digna. At quum despecta videat ab insipientibus divina mandata, tunc, ad imitationem laudabilis zeli Heliae, exardescendo oportet adhibere non tranquillitatem, sed iram. Quemadmodum et Dominus, quum ipse aspernaretur verbis atque obsessus a diabolo diceretur, parce respondebat illis, dicens: *Ego daemonium non habeo* [3]; verum quando ad Patrem et Spiritum Sanctum res attinebat, irascebatur, eorumque vindex fiebat: idest, quum ii, qui diaboli opera peragebant, Deum sibi vocabant Patrem, ajebat: *Vos ex Patre diabolo estis* [4]; et quum Beelzebub daemoniorum principi tribuebant opera Spiritûs, dicebat: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: sed qui Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur ei* [5]. Haec hisque simi-

1 Matth. 5. 39.
2 Isai. 53. 7.
3 Johan. 8. 49.
4 ibid. 8. 44.
5 Matth. 12. 32.

lia sunt, juxta voluntatem Dei, bona exempla aliquando tranquillitatis, aliquando irae; quas Episcopos habere jubet Apostolus. Addit et hoc: *Praeesse debet verborum doctrinae*[1], discere nimirum, et scire, et exercere divinae praedicationis leges; et primum quidem hoc agere, deinde materialem curam habere, quemadmodum Apostoli egerunt ac docuerunt. Dicebant enim: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis*[2]; etsi ea mensa esset pauperum servitus, non sui. Sed quoniam alere pauperum corpora inferius bonum existimabant, quam animas de virtutibus esurientes alere spirituali cibo, qui est doctrinae verbum; ideo ad ministrandos populo materiales cibos Stephanum cum suis sociis posuere, ipsi autem verbum Dei praedicabant. Quapropter jubet esse Episcopos verborum doctrinae magistros, atque *mente sanos consolari*[3], eos nempe, qui in fide non sunt aegroti. Qui tenet Apostolicam cathedram, debet etiam Apostolorum opera adipisci; quemadmodum egerunt ipsorum successores, Sancti Patres priores; et qui habent Episcopale onus, et non sunt exercitati in doctrinae verbis, debent habere apud se quosdam in hac gratiâ divinâ exercitatos, ut omni tempore conservis praebeant escas verbi Dei. *Et eos qui contradicunt*, inquit, *arguere*. Duo imponit Superioribus, utpote verborum doctrinae magistris: primum alere conservos, juxta Evangelicum praeceptum; deinde veritatis hostes, qui fidei verbis, ac Dei legibus, Ecclesiaeque traditionibus resistunt, divinâ sapientiâ confutare, ne in eorum perditionis foveam cadere faciant suis mendacibus verbis simplices e populo; juxta domesticarum bestiarum officia, quae ad duo ordinantur, ad fugandas nimirum sylvestres belluas, atque ad pastoris gregem, fere ex instituto,

1 Tit. 1. 9. ex Arm. versione. 2 Act. 6. 2.
3 Ex Tit. 1. 9. ubi Arm. versio legit: *consolari in sanae mentis doctrinâ.*

vigilanter custodiendum. Ii sane, qui ministerium Episcopale primi a Christo acceperunt (coetus Apostolorum) ita fecerunt et docuerunt suos successores, ut post ejus exemplum incederent. At miserrimis hisce temporibus tantum ab eorum similitudinis bono absumus, ut nullum aliud opus causa Episcopatûs apud adipiscere volentes censeatur, nisi cumulare variis industriis bona a subditis, atque gloriam ab adulatoribus obtinere; quod contemptus appellandus est, et non gloria. Vera enim gloria ea est, ut quis bonis operibus causa efficiatur glorificationis nominis Dei, juxta divinum praeceptum: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est* [1]. At hominum gloria erga propriam personam, non solum contraria est Dei gloriae, juxta illud quod de quibusdam Dominus dixit: *Dilexerunt gloriam hominum, magis quam gloriam Dei* [2]; sed etiam ab ipsis laudantibus coram vituperantur, utpote vitiosi, quum eos videant laudem et gloriam, quae ab ipsis est, anxie desiderare.

Missum faciam opus vel etiam pejus hujusce temporis Episcoporum, qui plures contemptus, et indictiones [3] ab Infidelibus sustinent, non propter leges divinas, quemadmodum primi Sancti; illud enim erat beatitudine dignum; sed propter inanis gloriae spem: et quaecumque a subditis fraude ac tyrannide eripiunt, quae ad Ecclesiae fulgorem, et ad pauperum necessitates ordinata erant, ea publicanorum more congesta mundi tyrannis largiuntur. Neque ab

1 Matth. 5. 16. 2 Johan. 12. 43.

3 Ad rectam hujus loci intelligentiam sciendum est, quod in regionibus Turcarum tyrannide foedatis, ut quis Episcopale munus obire possit, pacta tributa Infideli Principi solvere tenetur. Quum autem alius quispiam Episcopalem cathedram invadere cupit, majus prae legitimo Episcopo vectigal promittit solvendum avidissimo Praesidi, et sic spirituale regimen arripiens, verum Episcopum cogit ad majus adhuc offerendum tributum, ne iniquus homo praevaleat. Idem fere accidit sub Antiocho, ut videre est in lib. II. Machab. cap. 4. v. 8. Contra hos igitur sic agentes invehitur S. Pater.

ipsis coacti id faciunt; hoc siquidem improbitatis opus a quibusdam Infidelibus praegustatum, initium sumpsit ab hominibus absque pietate, et ambitiosis nostrae Gentis, qui sese invicem supplantantes vectigalia multiplicant super Ecclesiam Christi, veluti super domum portorii, vel officinam fullonum; de quibus peccatis non datur remissio, utpote in Deum perpetrata. Qui autem hoc malum opus in Ecclesiam invexerunt, vel qui a Patriarchis ob spiritualem causam a sede projecti, Infidelium vi, atque tributorum augmento Episcopalem cathedram rursus arripere studuerunt, non solum Sacerdotio, sed vel ipsâ fide et professione Christianâ, atque Canonicâ Sacerdotali sepulturâ, et in Sacrificio sancto recordatione indigni sunt. Quid vero dicam de matre horum malorum? de iis nimirum, qui palam sunt veritatis ac sanctae Illuminatoris Sedis impugnatores; qui suo vitio ac tyrannorum mundi decreto moti ad hoc munus spirituale sese erigunt, haudquaquam per electionem Dei, ac Dei virorum totius nostrae Gentis, quemadmodum lex jubet; quo pacto causa multiplicis putredinis corruptionisque Christi membris efficiuntur. Enim vero si *in capite Aaron* gratiae Spiritûs Sancti descendunt, quae sunt Patriarchatus; et ex capite postea *in barbam*, quae est Episcopatus; atque ex barba *in oram vestimenti*, quae est Sacerdotium; ac ex ora vestimenti *in vestem* ipsam, quae est populi congregatio [1]; quodnam habebunt gratiae oleum ii, qui ab Aaronis capite sunt sejuncti, atque operibus consociantur Datan et Abiron contra magnum Moysen et Aaron disceptantium? aut quomodo, qui suâ perversitate sunt a gratiâ semoti, illud dare poterunt, quod ipsi amiserunt? Hinc factum est, quod propter hanc ipsam illorum arrogantiam tempore Domini nostri Sanctique fratris Gregorii Catholici in magnam Synodum congregati sunt plus quingenti supra duo millia, Episcopi, Docto-

1 Psal. 132.

res, et monasteriorum Patres, atque sancti Montis Coenobitae, viri virtutibus praediti et sapientes Haicanae nationis; illosque ab Ecclesia Christi anathemate depulerunt, et gladio verbi Dei abscissos, utpote putrida membra, ab integris Ecclesiae membris projecerunt, congerentes super caput eorum tristes maledictiones [1]. Qui nequaquam resipiscentes, nec lethalem spiritûs dolorem sentientes, neque vitae pharmacum de manibus sapienter propinantis sumentes, ut mortifero mederentur supplicio Contritione ac Poenitentiâ; sed aspidi similes ac basilisco, obturantes ad divina verba aures suas eâdem malitiâ exaestuant pervicaces, ebrii atque phrenetici superbiae vitio, non cessant, sicuti ferocia animalia, disseminare perturbationem in thalamo tranquillitatis coelestis nuptiarum domus divini Sponsi, quem (*thalamum*) suo sanguine redemptum a mala diaboli servitute exemit. Illiusmodi vero hominum sanguis in capita propria erit, et ultio malorum operum suorum in eosdem ipsos congeretur.

At vos, qui veritatis defensores ac bonorum sectatores estis, oramus, ut solliciti omnino sitis in Pastoralis muneris, quod a vero Pastorum Capite accepistis, spiritualibus operibus, cum omni sensu, juxta verba, quae antea scripta sunt, et juxta canonicas sanctorum Apostolorum eorumque Successorum admonitiones; ut libere nec rubore offusi stetis coram Eo, qui mandatorum talentum vobis tradidit, duplum augmentum in lucri redditione Ei offerentes, atque felix verbum beatificum ab eo audiatis: *Serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* [2]. Quae Nobis etiam vestris precibus sortiri concedatur in Christo Jesu Domino nostro.

1. Quando nimirum ann. Domini 1114. David quidam Antipatriarcha sedit in Aghtamar insula adversus legitimum S. Gregorii Illuminatoris successorem, fratrem hujus S. Nersetis.
2 Matth. 25. 21.

Ad coetum Sacerdotum.

Convertamur exinde verborum nostrorum ordinem ad vos, o Sacerdotes, qui alterum tenetis post Episcopos gradum, quique per Sacerdotale ministerium ordinamini, ut offeratis Deo omnes filios per sancti Fontis ablutionem, unumquemque generando coelestis Patris adoptioni, atque Christi Dei haereditati, nec non ipsorum animos immortalitati alendo per Dominici corporis et sanguinis expiatorii distributionem. Oro igitur vos omnes per charitatem Christi, ut mentis oculos aperiatis, utque exsurgatis a mortali hujusce saeculi sopore, ut demum virtutem agnoscatis muneris vestri coelestis, ad quod vocatione vocati estis. Equidem supermundanas angelicas virtutes gradus hic excedit penes eos, qui puritate ac sanctitate eum observant. Et quoniam digni facti estis ad coeleste munus efferri, nullo modo ansam detis, ut *vituperetur ministerium vestrum*, juxta Apostoli monitum; sed viriliter et prompto animo attendite sine pigritiâ ad implendum integre, juxta quamlibet horam, orationis ordinem a sanctis Patribus statutum [1]. Atque divinum mysterium implete mundo animo, ac sancto corde, et spiritu immaculato, magnâque spe, et sincerâ mente, atque amore perfecto *cum timore et tremore* [2]; neque veluti aqua per tubum, mystica orationis verba, quae offertis inconsiderate percurrite (sive psalmos cantetis, sive sacra scripta legatis, sive officium recitetis, sive sacerdotales sancti Sacrificii preces persolvatis, alias-

1 De publica oratione, seu de divino officio hic loquitur S. Pater, ad quod persolvendum omnes Armenii Sacerdotes tenentur non privatim, ut apud nos, sed palam et solemniter in Ecclesia; ideoque dicit *juxta quamlibet horam*; eâ enim transactâ, nequit privatâ recitatione satisfieri. Hinc addit quoque, ut *integre* ad hujusmodi impletionem attendant; ne quis scilicet jam officio inchoato ad chorum accedat.

2 Ephes. 6. 5.

que statas precationes): sed maximâ semper attentione, et, si fieri potest, lacrymis, magnoque timore, non secus ac si ex corde et mente vestra eas noviter produceretis; haec enim omnia sunt variorum diversorumque donorum a Deo postulationes. Atque ipsemet Deus bonorum largitor, quum devotam viderit postulantis petitionem, abundantius postulata concedet, juxta illud: *Qui petit, accipit*, et cetera [1].

Scitote, quod ab initio, Apostolorum temporibus, quum novum fidei ver effloruit, omnes repleti erant Spiritu Sancto, atque Spiritûs gratiâ suopte conceptu in oratione loquebantur, juxta temporis necessitatem, quemadmodum sunt verba mystagogiae Sacrificii, atque totius ministerii. At novissimis diebus, quoniam peccati hyems frigefactura erat per gelidam vim ignem amoris, quem Deo cuncti debent, impenetrabilemque hominem redditura, ne Sancti Spiritus gratia in ipsum ingrederetur; mentis oculo perspicientibus sanctis ac spiritualibus Ecclesiae Doctoribus, posteris universa tradiderunt scripto, ut per illud nos ducti absque errore, et periculo labendi cunctas Ecclesiae constitutiones impleremus. Quapropter magnâ fide ac spe oportet eam [2] attentâ mente offerre.

Scitote et istud: appellatio nominis Sacerdotii vestri non est *ab hominibus neque per homines* [3], sed ab eo, qui vocatus est *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech* [4], quique ipsemet est verus Sacerdos et Pontifex et Sacrificium Deo Patri. Ipse autem vobis dedit sui nominis appellationem, unâque cum nomine suum quoque tradidit munus, pascendi (*nimirum*) ejus populum, et docendi semper bona opera, praebendique vos ipsos universis bonitatis exemplar: secundum quod et Paulus Timotheo scribebat: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi per impositionem*

1 Matth. 7. 8.
2 *Orationem* scil.
3 Galat. 1. 1.
4 Psal. 109. 4.

manuum presbyterii [1]. Et iterum: *Sacerdotes duplici honore digni habeantur, qui laborant in verbo et doctrina* [2].

Quare vos exoramus, ut juxta nominis appellationem opus quoque impleatis; atque, ut populi vestri patres ac genitores, omni tempore spiritualem eis detis admonitionem, semper omnes docendo in Ecclesia, *publice et per domos* [3], pro cujusvis aetate, a pravis arcendo, et ad coelestia exhortando. Et quamvis in omni boni ac virtutis genere perfecti sitis, nolite tamen negligere Ecclesiae nitorem unâ cum sancti Sacrificii vestimentis pretiosis ac mundis, quemadmodum de quibusdam audimus, qui communibus vestimentis ac sordescentibus calceis ad Altare sanctum accedunt, ac terribile mysterium operantur habitu nequaquam mystico; atque sibi arbitrantur honestum ejicere ab Ecclesia populum, et januas claudere depulsis. Neque id agunt solummodo, verum etiam stulte detrahunt de quibusdam Ecclesiis, ac de disciplinâ optime in nostris servatâ. Verum nemo inutilem credat ac sine mysterio Sacerdotale vestimentum. Sicut enim per typum antiquis temporibus praefiguratum fuit Moysi sancti Sacrificii mysterium, et in novo foedere impletum in Christo; ita et veteris legis Sacerdotes exemplum erant novi Sacerdotii, atque Aaronis tunica novorum Sacerdotum praefigurabat vestimenta. Quae vel ipsi sancti Apostoli cooperante Spiritu Sancto ad Ecclesiae complementum perfecere, et ubique locorum Sacerdotes ac Diaconos consecrarunt, eosque jusserunt internâ atque externâ puritate salutari mysterio inservire. Atque ita per universum mundum solemniter ornatae sunt Ecclesiae totius populi Christiani, ut nitido ornamentorum decore Sanctis (*mysteriis*) adhiberentur; idque magnopere in Ecclesiis Armeniacae nationis a beato nostro Illuminatore primitus

1 I. Tim. 4. 14.
2 ibid. 5. 17.
3 Act. 20. 20.

constructis usque ad extremam provinciae subversionem [1]. Nil aliud vero in causa fuit, quominus obsisteretur hisce optimis priorum Sanctorum Patrum traditionibus, nisi ignorantia, et proprii arbitrii arrogantissima licentia illorum, qui pristinum fulgorem, quando *misericordiâ Domini plena erat terra* [2], non viderunt; sed persecutionum temporibus geniti miseram conspexere turpitudinem: quum utique Gens nostra paupertate, veluti ferreo compede, colligata fuit sub jugo servitutis variarum gentium, inter quas degunt. Hi in necessariorum corporis subsidiorum indigentiâ versantes negligunt Ecclesiae magnificentiam, neque animae bonum curant; quia *charitas*, juxta Dominicum verbum, *aruit* [3] neque sunt quemadmodum Christifideles primis persecutionum temporibus, in quibus ita Dei amor exardebat, ut persecutione vexati magnâ, sicuti cernitur, Templa magis quam in Ecclesiae pace aedificarent. Ecquis sapientum cernens tenebricosam istam disciplinae aberrationem ab indigentia ac subversione exortam, immo Dei iram ex traditionum legumque inobservantiâ reputans audeat praeceptis divinitus consignatis obsistere? At Nos praetermittentes stultas contradicentium disputationes, vobis, qui Dei legi obeditis, praeter ea, quae diximus, etiam hoc damus praeceptum quoad praesentem quaestionem.

Non habent Sacerdotes neque a Deo neque a Nobis licentiam offerendi Sacrificium sine eo vestimento, quo ad celebrandum utitur, aut legendi Evangelium, aut accipiendi Crucem in manibus, aut ad cetera Sancta accedendi; haec autem, quae breviter attigimus, aliaque hisce similia sunt externi hominis observantiae iis, qui divinis rebus inservituri sunt. Dicamus et de interiori homine, cujus fulgidi spiritualis ornatûs figura est cultus exterior. Nemo vestrum indigne serviat divino Mysterio, aut quem-

1 Quando scilicet sub Turcarum tyrannidem transiit Armenia.
2 Psal. 32. 5. 3 Matth. 24. 12.

piam e populo sine examine communicet, ne cum Juda et iis, qui Christum crucifixerunt, damnetur. Nemo in anima sua opus peccati servans, sine vera Confessione, ad divini Mysterii ministrationem accedat, ne ad iracundiam contra se, ac mundum moveat Deum, atque a divinis nuptiis ejiciatur, quippe qui turpi indutus peccati veste intravit Dei Ecclesiam, quae coelestis nuptiarum domûs est typus; iste namque auditurus est horribilia verba: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?..... educite eum foras*, idest e regno coelorum, *et interscidite eum* [1]; ac si diceretur: tum fide, tum sancti fontis et Sacerdotii gratiâ exuite, ejusque pars non cum fidelibus, sed cum infidelibus sit. Propterea quod non credidit Dei corpori ac sanguini se ministrare, sed solummodo panem ac vinum esse putabat, ideo ausus est illi indigne et sine Confessione appropinquare. Oramus itaque, ne serviatis, quasi rei corporali, coelestis mysterii convivio, sed cum timore et tremore divinis rebus administrate. Si enim Seraphim sanctum in typo egebat forcipe, ut prunis ardentibus, quae erant in altari, appropinquaret; quanto majori puritate et reverentiâ nos terrestres ac peccatores indigemus, ut ad illius typi veritatem accedamus? Quare vos, o Ministri mysterii sancti, mentem et sensus quocumque tempore expurgare debetis ab omnibus noxiis, eo magis autem in die, in qua vobis ad Deum accedendum est [2]. Nam si Moysi dictum est a Domino [3], ne conculcaret mortuis pellibus [4] ubi Divinitatis ignis apparuerat; quanto magis nos decet peccati mortalitatem a nobis antea solvere, ac deinceps mysterio divino appropinquare? Non enim sicuti Moyses debemus

1 Ibid. 22. 12.

2 Non enim quotidie divinum Sacrificium peragunt Armenii Sacerdotes, sed iis diebus solummodo, quibus ab uxore sejuncti in Ecclesiarum aedibus morantur.

3 Exod. 3. 5.

4 Idest *calceamentis*, quae de mortuis pellibus conficiuntur.

alloqui tantummodo Deum, aut *Dei posteriora aspicere* [1]; sed insuper et manibus tangere, qui tangi nequit, et amorem [2] labiis osculari [3], atque cunctorum nutritium ore manducare, ac in corde excipere, eique spiritu copulari, Deoque adhaerendo Deos fieri per gratiam. Et ideo oculos, et aures, et linguam, omniaque membra monete, ut ad bonum moveantur, nunquam autem ad malum, in castitate et sanctitate, mentem a saecularibus desideriis et occupationibus liberantes; postea vero ad coeleste mysterium accedite, ne ad vestrum judicium [4] corpus et sanguinem Domini comedatis et bibatis, juxta Apostolum, sed in expiationem peccati, atque ad spiritûs vestri, vestrique populi purgationem.

Neque sit de vobis, quemadmodum de quibusdam saecularibus Sacerdotibus temerariis audivimus, qui de mane usque ad Sacrificii horam per plateas civitatis commercio vacant, quo pacto multas infigunt sagittas in animâ per sensuum januas videndo, audiendo, loquendo, et agendo quae dedecent; indeque redeuntes Ecclesias ingredi audent, et azymis ab aliis Sacerdotibus confectis [5], haud praemissis psalmis ac precibus, Sacrificium peragunt. Quibus praecipimus, ut ab hac irreverentia pravoque more in posterum abstineant, utque prius mentem expur-

1 Exod. 33. 23.

2 Dubius est hic locus; fortasse enim (sicut in quibusdam MSS. reperitur) legendum est *Dominum*, potiusquam *amorem*: quae varietas inde oritur, quod in armenio idiomate vix exiguo apice differunt literae, quibus utrumque hoc vocabulum constat: սէր (ser) namque significat *amorem*, տէր (der) *dominum*. Attamen quocumque legatur modo idem omnino sensus habetur, quia *Deus*, ut dicit Apostolus, *charitas est*; I. Ioh. 48.

3 In sacrâ namque Armeniorum liturgiâ osculatur Dominicum corpus; ut videre est apud Le-Brun Tom. 3. pag. 134., et praesertim in eâdem Liturgiâ nuper ex armenio ad italicum sermonem versâ a praeclaro sanctoque viro P. Gabriele Avedichian Mechitaristicae familiae Generali Vicario, Venetiis vulgatâ anno 1826. p. 101.

4 Idest *ad vestram condemnationem*, sicut Apost. ait I. Corinth. 11. 27.

5 Solent enim Armenii Sacerdotes adhibere in Altaris sacrificio hostias a seipsis praeparatas.

gent nocturnâ diurnâque oratione [1], quemadmodum superius scripsimus; ac postea templum sanctum ingrediantur, sanctoque Sacrificio ad Deum adstent.

Nemo e Sacerdotibus communionem Corporis et Sanguinis cuilibet sive sano sive aegroto porrigat, quin sciat fidei operumque confessionem vel coram se, vel coram alio Sacerdote prolatam; neque indignitatis conscius divinum Mysterium adulationis causâ praebeat, pessimam eo pacto, quam ceteri de ipso habent, opinationem celans; iste enim dat canibus sancta et margaritas projicit ante porcos [2].

Nemo e Sacerdotibus ad divinum perficiendum Mysterium accedat servans in corde adversus alterum indignationem, inacceptumque reddat coram Deo Sacrificium; sed prius reconcilietur fratri suo, juxta Christi mandatum, et postea veniens offerat Sacrificium [3]. Idem etiam praeceptum pro communicantibus sit; haec enim lex est pro fratribus dignitate aequalibus, ut pro Sacerdotibus erga Sacerdotes, et pro laicis erga laicos. Sin vero quemdam e populo Sacerdos a communione arceat, utpote legi Dei non obtemperantem, et ille superbus ad bonam frugem non revertatur, neque a Sacerdote veniam precetur; tutâ conscientiâ offerat Sacerdos Sacrificium sanctum, ille vero, qui non resipuit, nec veniam petiit, damnationi erit obnoxius. Non enim inconsulto jubet ipsemet Christus dimittere laedentibus; sed si forte peccator ad offensi pedes provolutus poenitere promittat, tunc, ait (*Christus*), peccati, quod in te perpetravit remissio concedatur. At si, eo promittente ad bonam frugem reversurum, Sacerdos ob corporalem causam odium fovens non pepercerit, Sacrificium offerre, quin prius inierit pacem, non debet. Diabolus etiam plures invehit inutiles altercationis causas inter Sacerdotes, alio

1 Nocturna Armeniorum oratio Latinorum Matutino respondet; diurna vero Primae.

2 Matth. 7. 6.

3 Matth. 5. 24.

adversus alium disputante, animam omni tempore crucians odii aemulationisque vitio; quod inter rudes et agrestes viget plerumque. Haec autem fiunt tum si quis avaritiae deditus populum alterius sibi surripere nitatur, tum, ut sodalem subigat, ambitioni cedens. Quamobrem ob multiplices odii causas ab eis dissolvitur charitatis mandatum, signumque discipulatus Christi, quum dixit ad eos: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* [1]. Quibus et Nos apostolicum praeceptum imponimus: *Sol non occidat super iracundiam vestram;* et; *Nolite locum dare diabolo* [2]; idest, si perturbator auferre pacem, quam Christus discipulis, et unâ cum illis nobis dedit, ac pro pace suam perturbationem inter vos seminare studuerit; ne sinatis eum in animabus vestris diu inhabitare, ne forte, propter odium ac indignationem, templum Dei, quod est in vobis, diaboli habitaculum reddatis. Verum exsurgente indignationis igne, qui ab illius accenditur insufflatione, eum extinguite pacificâ spiritûs aquâ, priusquam occidat sol; ut pacem diligentes *filii Dei sitis* [3], juxta beatitudinis promissionem, reapse in vobis adimplendo verum Filii Dei opus, *qui pacem fecit per sanguinem crucis suae in coelo et in terra* [4]. At si quis e Sacerdotibus socio iratus magis odium diligit, quam amorem, et perturbationem prae pace, nec dissolvit tristitiae causam, nec reconciliatur alteri sese humilianti reconciliationemque petenti; non audeat Sacerdotale opus implere, quoadusque tristitiae et iracundiae diabolum in se habitare sinit. Enimvero, *quae participatio lucis cum tenebris*, inquit Apostolus, *aut Christi cum Belial* [5]? Scriptum est enim [6] « Sicut, *qui manet in* » *charitate*, Deum in seipso inhabitare facit, quo- » niam *Deus charitas est;* ita et qui odium fovet,

1 Joh. 13. 35. 2 Ephes. 4. 26. 27. 3 Matt. 5. 9.
4 Coloss. 1. 20. 5 II. Corinth. 6. 15.
6 Passim apud sanctos Patres Iohannis sententiam epist. I. cap. 4. 16. enucleantes.

» diabolum nutrit in semetipso »: quia cibus illius est odium, sicut etiam quodlibet mali opus, et ideo quanto quis vestrum in semetipso dat locum diabolo propter odii vitium, tanto indignior est corpore et sanguine Christi; et si cum iracundiae ac fraudis spiritu illum sumere audeat, Judae proditori fit similis, *in quem post buccellam diabolus intravit* [1]. Et ideo vos omnes precor, ne cito ad altercationes inutilesque sermones feramini; sed e contra prompti et solliciti estote ad reconciliationem et pacem. Nemo autem saecularium ritu praevalens fraudare studeat fratrem suum, injuriâque eum persequi; ne Deum, qui jus reddit injuste oppressis, judicem et accusatorem simul efficiat, ille autem, qui in hac vita transitoria fraudavit, cum usuris in interminabili vita solvere teneatur. Sed majores constantioresque ex vobis in sapientia juniores et ignaros lucrentur, eis parcendo eosque perferendo, quamobrem a Deo praemio afficiemini, quippe quod fratres lucrati estis. At vobis junioribus praecipimus, ut majoribus sapientibusque Sacerdotibus obedientiam humilitatemque ostendatis; haece enim optimâ regulâ servatâ, in causa eritis, ut glorificetur Dei nomen apud extraneos, utque bonorum operum aemulatio in vestris populis accendatur. At si vos videbunt dissentionibus, altercationibus, et conviciis unus adversus alterum occupatos, quemadmodum multi, immo, paucis exceptis, omnes agunt; nomen Dei propter vos blasphemabitur ab extraneis contuentibus, et vester populus magis a Dei praeceptis recedet; vos autem vestrâ culpâ supplicium feretis judicii quoque eorum, qui a rectâ divinae legis viâ aberraverunt.

Nemo e vobis propter socordiam, saecularesque curas caecam diligat ignaviam Sacerdotalium studiorum. Quod a cunctis praestari nequit, ut sint (*nimirum*) in omni gratiâ perfecti, quemadmodum lex divina Sacerdotibus praecipit; saltem in neces-

1 Iohan. 13. 27.

sariis debent esse perfecti; libros videlicet liturgicos ac rituales recte perlegere, et cantus in Ecclesia solitos probe callere: post haec autem ad Sacerdotalem ordinationem poterant promoveri. At de quibusdam falsis [1] Sacerdotibus audimus, quod non solum in ceteris disciplinis sunt propter socordiam, vel potius propter incredulitatem insipientes, verum ne Psalmos quidem Davidicos centum et quinquaginta capitibus comprehensos integre sciunt, quibus non atendo cum Deo [2] minime Sacrificium perficitur, juxta Sanctorum Patrum traditiones. Nonnulli ne verba quidem precationum Sancti Sacrificii memoriter tenent, et superficiali sacrificio arbitrantur decipere, qui falli nequit, Deum, et homines, defunctorumque animas, coram hominibus simulando; quod severius apud Deum prae alio quolibet delicto judicabitur. Hi autem indigni sunt offerre deinceps Sacrificium, etiamsi post reprehensionem memoriae mandaverint. Sin vero a damnatione liberare velint animas suas, magnâ Poenitentiâ peccati, quod in Deum est, veniam consequi satagant.

Nemo e Sacerdotibus perfunctorie, et sine maximâ animadversione Baptismum sanctum administret, ipsum mundanum reputans negotium; nec divinis verbis ridicula et scurrilia verba commisceat, sicut de quibusdam ignavis metuque carentibus audimus; ne ipsi id sit damnationis causa, infantibus autem causa sit imperfectae susceptionis gratiae Spiritûs Sancti. At quemadmodum sanctum Sacrificium, ita cum timore administrationem perficite, verborumque divinitus inspiratorum lectionem, universosque sancti Baptismatis mysterii ritus. Id si praestabitis, credite, quod sicut Spiritus Sanctus in Jordane descendit super Eum, qui erat ejusdem gloriae consors; ita et super omnes descendet, qui catholicâ

1 Seu potius *indignis*, vel *superficialibus*.
2 Nisi scil. juxta diei ordinem Canonicae Horae persolvantur, nequit ad Sacrificium perficiendum accedi.

fide baptizati erunt, quos per gratiam Deus Pater in adoptionem vocat ad similitudinem proprii sui Filii, vosque in ipsâ deificâ Spiritus Sancti gratiâ adstipulatores et ministri, immo, ut ita dicam, filiorum Dei obstetrices sitis, manibus vestris operando, atque a matris sinu, idest a Fonte, eos suscipiendo.

Nemo e Sacerdotibus Baptisma sanis pueris post prandium administret, sed instante solummodo mortis periculo. Prius Baptismatis peragat opus, ac postea sanctum offerat Sacrificium, in quo et baptizatum communicet [1]. Neque ex infidelibus viris aut mulieribus Christum non adorantibus accipiatur sponsor puerorum baptizandorum. Quomodo enim sanctae Trinitatis confessionem, quam ipsi non habent, dare possunt aliis, quum Sacerdos ejuscemodi professionem postulat a baptizandis? Quapropter ne relinquatis opus istud peragendum ignavis saecularibus ob terrenum pecuniae amorem. Quod si illi audeant, vos baptizare renuite, ne a perfectione deficiant, qui, ut ipsam acquirant, baptizantur, neve subsannabile coram infidelibus magnum mysterium divinum reddatis: immo, si fieri posset, nullus horum dignus foret, qui sancto fonti tempore Baptismi adstaret, ne propter veritatis oppugnatores Spiritus Sanctus a baptizatis recedat.

Nemo vestrum, quasi tributum, postulet argenti pretium pro ea gratia, quae pretium non habet, pro Baptismi nimirum aut Eucharistiae administratione morientibus; sed quasi Ecclesiae oblationem ab iis, qui habent, accipite si libenter largiantur, sin autem inopes fuerint, ne cogatis.

Dicamus et de baptizandis Infidelium pueris, quod ex antiquorum temporum more ad nos usque per-

1 Usus obtinuit in Oriente apud Armenios, ut pueris, qui Communionem sumere nequeunt, Sacerdos digitum ori admoveat pretioso sanguine imbutum, vel exiguam sacri corporis partem in ore ponat: idque ad antiquam majorum consuetudinem recolendam, qui cum Baptismate et Confirmatione Eucharistiam quoque solerter adjungere solebant.

venit; quodque est contra Christi praeceptum, sicut dixit: *Nolite sanctum dare canibus* [1]; quodque impediendum erat, nec permittendum. Quid enim (*huic puero*) prodest alieno ore Christum confiteri, Eoque per Baptismum indui, dum verbis sensuque caret; postea vero, quum aetate profecerit, iterum per apostasiam Illo exui, divinumque Incarnationis ejus mysterium, juxta propriam Sectam, blasphemare, potiusquam illud glorificare? Propter quod (*Baptismum*) magis magisque prae illis, qui nunquam baptizati fuere, judicabuntur, quia in semetipsis dominicam maculaverunt imaginem, quam in eis Fons sanctus signavit. At quoniam in hoc nonnihil est boni, quia nimirum quibusdam baptizatis mortis finis advenit dum adhuc in pueritià versantur, ideoque non cum perditis, sed cum servatis digni efficiuntur salute, hosque paucos diabolo ereptos Christi cohortibus commiscemus; propterea haud justum, id omnino prohibere, arbitramur. Quocirca Sacerdotibus praecipimus hoc tantum: ne propter avaritiam eos alliciant, neque libenter excipiant, sed difficulter id agant, atque instante necessitate. Si enim in fide firmi mansuri fuerint, optima erit vestra adhortatio ac voluntas. At quoniam viventes in corpore iterum quasi per aquas transfretaturi sunt, atque, juxta visionem Sancto Illuminatori nostro revelatam, ex lucidis ovibus in nigerrimas capreas transmutaturi; propterea inutilis erit conatus de illis, quia lucrum est parvum, damnum autem multum.

Nemo e vobis clam Coronam imponat [2]. Si enim (*Sponsis*) parentes fuerint, apud quos versentur, et a quibus non sint disjuncti, id eorum consensu ac voluntate est peragendum. Sin autem cum parentibus non vixerint, palam Corona imponatur, pluri-

1 Matth. 7. 6.

2 Matrimonii sacramentum non solum apud Armenios, verum et apud Graecos *Corona* dicitur, quia per Coronae benedictionem impositionemque peragitur; ut videre est penes Scriptores de Orientalis Ecclesiae ritibus.

busque aspicientibus, ut ab omnibus testificetur, rectum esse (*opus istud*), et non contra Dei legem; cujus indicia sunt vel ipsae canticorum ac musicalium instrumentorum voces, quae adstantium aures et oculos quodammodo testes reddunt coronatorum. At clandestinum sine teste, instabile et illegitimum est; a quo abstineri, et nunquam avaritiae causâ idipsum audere jubemus [1].

Nemo absque canonico praecepto [2] Coronam imponat viris, qui suas uxores, aut mulieribus, quae suos viros reliquerunt; ne, juxta Canones, a Sacerdotali ordine deponamini, et imposita Corona dissolvatur. Quod si vi utantur, nolintque separari, adulteri habebuntur.

Nec illis, qui raptores dicuntur, imponatur Corona; id enim est contra Dei legem, multorumque malorum a diabolo in perditis hominibus excitatorum fit causa, pluresque sunt, qui post fictam Coronam, quum diabolicâ concupiscentiâ saturati fuerint, alter ab altera, maximo odio separantur; qui vero talibus Coronam imponunt, eorum improbitatis fiunt socii.

Nemo e Sacerdotibus Coronam imponat innocentibus pueris, sive paternae haereditatis avaritiâ, sive aliâ de causâ; quia multa inde nascuntur damna, et causae deinde separationis. At Coronae tempus est, veniente pubertate, viri perfecto anno XV. et foeminae XII. et amplius; ut rationalium more possint ultro invicem conjungi, sintque stabiles in unitate, non autem brutorum more absque voluntate et consensu instabiles et fortuito. Vir quoque major esse debet aetate quam foemina; Adam siquidem prius a Deo creatus est, et postea mulier.

Nemo e Sacerdotibus Tyrannorum vi, absque

1 En Matrimonium clandestinum Armeniis jam irritum 380. ann. et ultra, antequam illud Tridentina Synodus suo decreto (*De reform. Sess. XXIV. cap. 1.*) irritaret.

2 Nimirum, quin prius vel per Canones vel per Judices Ecclesiasticos, nullum esse conjugium antea initum, declaretur.

viri vel mulieris voluntate, Coronam imponat; quemadmodum fieri audimus in iis Armeniae partibus, quae Infidelibus subsunt. Hujusmodi enim Corona instabilis est, ac solubilis; qui vero eam imposuit, non sine punitione erit, etiamsi actio istaec fuerit involuntaria. Qui autem dona offerunt tyrannis, ut eos habeant patronos in hoc injusto opere, majori damnatione ac maledictione sunt digni; quippe quod Potentium vi leges Dei, Ecclesiaeque judicia solvere festinant. Quapropter haud injusta erit hujusmodi Coronae dissolutio; non enim juxta Dei praeceptum fuit, sed ex hominum violentiâ.

Nemo benedictionis Coronam iis imponat, inter quos adest sanguinis propinquitas, nisi quartam utrique generationem prorsus impleverint. Cur autem quartam generationem, quasi matrimonii terminum, statuerint Sancti Patres, istud, ut sciatis, expendamus.

Quum corporis natura quatuor constet elementis, jure etiam corporea cognatio ad quartum gradum extenditur. Id autem hoc pacto evincitur. Ex uno patre duo separati fratres aeque habent in se patris substantiam. Deinde, qui ab iis gignuntur, fraterni sanguinis dimidiam habent substantiam. Tertia generatio, quae a fratrum filiis est, habet solummodo dimidium dimidii sanguinis. Quarta demum, quae ab iis est, quartam habet sanguinis partem; et hic est terminus ac punctum propinquitatis sanguinis.

Quoniam vero universa Dei divinorumque (*oraculorum*) diligentia est propter mutuum hominum amorem; ideo, qui Spiritu leges tulere, alienos inter se vinculo matrimonii per dilectionem conjungendos aequum esse duxerunt. Pro iis autem, qui sanguine conjuncti sunt, solam cognationem satis esse putarunt ad mutuum amoris commercium. Haec autem prima ratio est matrimonii non permittendi inter cognatos. Et aliae quidem sunt, quas sapientibus examinandas relinquimus.

Verum quum, juxta Dei legem, hujusmodi, sicuti

scripsimus fuerit Corona, eam non imponat Sacerdos aliâ horâ, quam a diluculo usque ad meridiem, nec sinat Ecclesiam ingredi eos, qui manducaverunt et biberunt, neque impudicas mulieres, aut viros, qui reliquis horis non sunt digni ingredi templum, ne per ipsos domus Dei polluatur, et benedictionis Corona contaminetur. Quum vero sancta Corona imponitur sileant (*saeculares*) cantus, donec ab Ecclesiâ (*sponsi*) discedant; ne cum divinis canticis diabolici cantus misceantur. Item a Baccanalibus [1] incipiendo, usque ad exitum hebdomadis abstinentiae, quae post Pentecosten [2] fit, nemo e Sacerdotibus ignoranter Coronam alicui imponat, neque in ulla anni Dominicâ; quemadmodum in Canonibus statuere Sancti Patres priores. Dies enim Quadragesimalis jejunii, luctûs tristitiaeque sunt ob passionis Christi mysterium; non autem helluationis et convivii nuptiarum. Et quinquaginta dies post Pascha, necnon Dominicae omnes exemplum exhibent nuptiarum Christi coelestis sponsi, ejusque sponsae Ecclesiae; festivitatis videlicet, quae in futuro saeculo habenda est, quando novem Angelorum choris homines justi addentur atque coalescent. Quod vel ipsum illorum dierum nomen *Ilinunk* [3] declarat: ita ut ipsemet Dominus universos fideles *pueros thalami nuptiarum* appellaverit [4]; quibus in mandatis dedit, ne jejunarent *quamdiu sponsum secum habuissent* [5]: quo designantur illius resurrectionis dies usque ad ejus in coelum ascensionem. Quapropter Sancti Patres arbitrati sunt, non decere diebus nuptiarum spiritualis Typi, in quibus dictum est a Domino: *neque nuberi, neque nubere* [6], esse perficiendas has

1 Scilicet a fer. II. post Dom. Quinquagesimae; eo namque die incipit apud Armenios Quadragesimale jejunium.

2 In eâ namque hebdomadâ abstinent Armenii a carnibus et lacticiniis, aestiva quodammodo Latinorum Tempora imitantes.

3 Seu *Quinquaginta*, quo nomine appellant Armenii totum illud tempus, quod a Paschate ad Pentecosten usque continetur.

4 Apoc. 19. 9. 5 Matth. 9. 15. 6 Matt. 32. 30.

corporeas nuptias, quae vitiosae sunt et generatrices.

Istud vero Sacerdotibus, qui ad nuptias pergunt, mandamus. Ne detineamini cum filiis saeculi in crapulâ, quâ valde peccant ii, qui non animadvertunt, illuc morando aspicientes et audientes et loquentes inhonesta. Verum prope ciborum finem, ad tria usque pocula [1], statim surgite ab ea mensa, ne quis vestrum forte cum vinolentis in ebrietate deprehensus derisioni sit saecularibus; neque ipse solus, sed et per unum ceteri omnes Sacerdotes. Magnâque poenitentiâ, si quodammodo ebrietatis veniam obtinere poterit hic (*Sacerdos*), rursus Sacerdotali ministerio dignus fiat.

Nemo e Sacerdotibus diaboli peccatum, ob quod hic resistens Deo praeceps ruit, praeseferat, verbo aut opere adversus Episcopum suum reluctans, sicuti Core et Datan adversus Moysen et Aaron; ne illorum ruinam a Deo consequatur. Tanto pejus autem si super Ecclesiam suscitare audeant indictiones [2], vel ab initio impositas augere; qua de causa per Infidelium manus Episcopos a sede removent, et ii populo praesunt, proque illis solvunt pensiones. Isti a semetipsis irremissibili Dei supplicio, damnationisque maledictioni sese subjiciunt: isti non sunt digni Sacrificium offerre, neque in morte Communionem suscipere, nec Sacerdotali more sepeliri.

Item nemo e Sacerdotibus aut e populo coram saecularibus Principibus sive Infidelibus, sive Christianis, Ecclesiae judicium ferat judicandum, ne ab Apostolico et Canonico praecepto condemnetur, sicut et Paulus ad Corinthios scribit: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos et non apud sanctos* [3]? Et Sancti Patres

1 Stato tempore vinum cunctis commensalibus distribuere solent Orientales in conviviis. Quum igitur tertiâ vice distributum fuerit, S. Pater discedere jubet Sacerdotes, ne ulterius bibendo inebrientur.

2 Videantur, quae superius dixit S. Pater ad Episcopos scribens.

3 I. Cor. 6. 1.

in suis Canonum codicibus, qui id agit, a Sacerdotio deponendum praecipiunt.

Praeterea nemo e Sacerdotibus villicationem administret sive in urbe sive rori, neque saecularium Principum sit procurator, vel tributorum ac vectigalium exactor, neque alio quovis ministerio in civitate perfungatur. Haud enim fieri potest, juxta Dominicum praeceptum, ut quis duobus oppositis dominis inserviat, placeatque in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi, et in domo saecularium. Idcirco utrumlibet iste seligat: aut a saecularibus curis disjungatur, aut ab opere Sacerdotali. Sin vero cum opere saeculari Sacerdotale quoque munus ac populi regimen exercere ausus fuerit; violentiâ id egerit, non vero jussu Dei vel Nostri, seque judicio suâ duplici arrogantiâ subjiciendum noscat.

De quibusdam Sacerdotibus audimus, ipsos equitationi studere, armaque gestare, ceu milites, et equorum ludis dediti, unâ cum illis equo insidentes currunt, belluas venando, jaculando, et alia id genus agendo, quae opus militare decent, non autem Ecclesiae ministros. Arma enim militiae nostrae non sunt corporalia, sed, quemadmodum Apostolus praecipit, spiritualia et divina, quibus *colluctamus non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates ..... contra spiritus nequitiae sub coelo* [1]. Quapropter oramus vos, ut hanc malam consuetudinem deinceps projiciatis, et nonnisi itinerantes sive pedibus sive equo arma ob metum feratis, eaque honeste, non autem militum ritu cum pharetrâ aut gladio optime ornato. Aliàs Sacerdotes dedecet armari, vel pueriliter equitare; id namque videntibus causa fit detractionis. Quos enim Paulus monet, ut *induantur arma lucis;* idest rectam fidem ac bona opera; iisque naturae nostrae adversario bellum inferant, non licet iisdem tenebrosa arma comparare, iisque bellum gerere adversus ejusdem

1 Ephes. 6. 12. ex Arm. lect.

naturae homines, aut belluarum gregem ferire, aut superbis equis nisi ob infirmitatem vehi: ab hisce enim iisque similibus operibus divina mandata nos arcent.

Si quem e suo populo excommunicaret Sacerdos ob ejus in praeceptis transgressionem, ipseque pervicax in suo peccato manserit, nec resipuerit; nemo ex aliis Sacerdotibus in propria Ecclesia audeat excipere, quemadmodum insipientium Sacerdotum quidam agunt, istos ad se pertrahentes. Qui autem id operatur, ipsemet causa fit illius pervicaciae in peccato, seque socium reddit supplicii ejus delicti. Verum quoad haec, constans inter vos lex ista servetur: Ab uno Sacerdote depulsus a ceteris Sacerdotibus aeque depellatur, donec transgressor e via sua ad rectam revertatur, atque sese humilians veniam petat, Deoque voveat poenitentiam agere et non amplius in eamdem mali consuetudinem reverti. Quum autem hoc pacto a suo Sacerdote veniam obtinuerit; tunc alii quoque Sacerdotes in charitate Dei illum recipiant. Et sane haec ipsa aequitatis regula inter Episcopos quoque confirmatur; illum enim, qui ab uno Episcopo excommunicatus est, sive Sacerdos fuerit sive laicus, nullus alius Episcopus facultatem habet absolvendi, praeter eum, a quo fuerat excommunicatus.

Hujusmodi etiam praeceptum coelibibus [1] Praesbyteris saecularibus tradimus. Ille, cui in juvenili aetate decessit uxor, si voluerit animam suam ab occasione peccati, et a detractione liberare, digneque inservire ministerio sancto; mundum relinquens, juxta canonicum praeceptum, religiosum ordinem ingrediatur. In mundo enim, consuetâ familiaritate cum mulieribus versando, aspiciens, ac loquens, maxime autem illarum excipiens confessiones, haud

1 Seu potius *viduis*. Armenii namque Sacerdotes, quemadmodum et Graeci, suas retinent uxores si ante sacri Ordinis susceptionem fuerant Matrimonio conjuncti.

fieri potest, ut juxta Sacerdotii legem Deo sancte deserviat. Verum, nisi velit per viam arctam incedere, latam potius et spatiosam diligens, abstinendum est ei a sancti Sacrificii administratione, etiamsi per manifestum aliquod crimen minime diffametur. In viridi namque aetate difficilius est pure Sanctitati inservire; praesertim qui non sibi prorsus cavet cum timore et puritate et jejunio et oratione, sed absque timore ad cibos, et potus, atque ad omne perditae vitae genus fertur. Ille autem, cui prope seni uxor interiit, quique confidit, se in sanctitate ac puritate vitae atque sine famae suae laesione Deo inserviturum, ut laudem, non improperia ab aspicientibus accipiat; hic in suâ Ecclesiâ, quoadusque velit, moretur.

Satis superque a Nobis breviter ad Sacerdotes scripta admonendo, nequaquam auctoritate praecepta imponendo; sed quasi conservi rogando. Quae vero hîc desunt, scire debetis ex canonicis priorum Patrum libris, quibus Ecclesiae pueros [1] ad Dei gloriam in ordinem redegerunt.

1 Dicit *pueros* potiusquam *servos* familiari utens Sacrarum Scripturarum vocabulo, ut passim videre est.

Ad Principes nostros Armenios [1].

Convertamus et ad vos, qui saeculi consuetudine utimini, divinorum praeceptorum admonitionem; atque in primis et ante omnia ad vos, o Principes, qui labentibus hisce temporibus huc et illuc imperatis pluribus vel paucis militibus, aut provinciis. Obsecro itaque vos, haud inobedientes esse Dei legibus; sed quemadmodum vultis, ut obedienter et integre adimpleant subditi vestri vestra praecepta (qui, si praeceptorum quidpiam haud absolutum relinquunt, poenam a vobis ferunt); ita et vos, utpote naturâ Dei servi, servite Domino in timore atque obedientiâ, ne puniamini veluti Deo rebelles; quin potius, quemadmodum fideles servi in coelestibus regnant, honorem accipiatis.

Primum itaque praeceptum, quod vobis tradimus, hoc est: ne agatis injuste subditis, onera eis imponendo, quae ferre non valent; sed unumquemque rite et pro viribus judicate. Animadvertite, vos quoque habere Dominum in coelis, neque esse coram eo personarum acceptionem; quemadmodum vel ipse Apostolus dicit [2]. Neminem fraudetis, neque pauperes et egenos affligatis; ne contra vos Deum appellent, eosque Deus exaudiat, juxta sapientem Salomonem, qui dicit: *Non relinquas quaerentibus tibi retro maledicere; exaudiet autem eum, qui fecit illum, et retribuet tibi mala* [3].

Ne ponatis malos injustosque ministros et praefectos super provincias vestras, ne vos quoque ob

1 Seu potius ad Proceres omnes ac divites in Armenia tunc temporis commorantes; non enim Reges alloqui poterat S. Pater, quod sub Turcarum ditione vivebant Armenii, ut colligere est ex pluribus hujusce Encyclicae locis. Nersetis igitur sermo ad Nobiles ac Magnates, sub quorum potestate plurimi erant milites, ac servi et mancipia, instituitur, qui ab istis asperrima quaeque jubebant, exigebantque.

2 Rom. 2. 11.

3 Eccle. 4. 5 et seq.

illorum injustitias a Deo judicemini unà cum ipsis; sed integerrimos judices eligite administrationem super homines tenentes, ne propter parvam ipsis oblatam mercedem aut exonerent a solutione multi tributi operariis impositi regio jussu, aut ipsi furentur; neve eosdem aggravent, neve accipiant ultra praeceptum (haec enim ambo injusta sunt coram Deo); quin potius ita sint justi, ut *reddant, quae sunt Caesaris, Caesari, et, quae sunt Dei, Deo* [1].

Neminem injuste judicetis, sed recte jus dicite, ut et judicium, quod super vos facturus est Deus, dulce sit, non severum. Ne absolvatis injustum in judicio, neque justi torqueatis justitiam propter munera, aut propter alterius partis benevolentiam, aut propter odium indignationemque, aut propter dignitatis reverentiam personae alicujus acceptatione; ne vos ipsi digni efficiamini Divinis maledictionibus hac de causa juxta legem (*indictis*). Ne negligatis viduae et inopis jura quum ad vos clamaverint contra expoliatores suos; sed *judicate pupillo et defendite viduam*, sicuti per Prophetam Deus dicit [2], atque audite clamorem eorum et liberate eos ab affligentibus se, eisque reddite ab iniquis ablata; et tunc exaudiet Deus orationes vestras, et adimplebit petitiones cordis vestri. Ne servire faciatis homines, qui vobis subsunt veluti animalia, quae naturà sunt hominum servi, asperrimis et intolerabilibus laboribus, quemadmodum et Pharao filios Israel, ne ad manducandum quidem porrigentes; sed misericorditer, et humaniter, et ad breve tempus (*laborem imponendo*), abundeque cibum eis praebendo, ut in tempore laboris moderate et non praeter modum perpessi, saturentur, atque suis laboribus possint semetipsos, familiam, suosque filios explere, necnon regium solvere tributum. Ne abscindatis auctoritate mercedem operariorum vestrorum, ceu illi, quos accusant Apostoli et Prophetae: *Fraudatus a vobis cla-*

1 Matth. 22. 21. 2 passim apud Isai. Hierem. et alios.

mat, et clamor operariorum in aures Domini Sabaoth introivit [1]. Satis sit vobis ipsorum laboribus ditescere, et ultra modum pinguescere, eo magis quod non est alia eorum et alia vestra natura, sed estis ejusdem cretae ejusdemque figmenti. Idem namque est dominis ac servis, divitibus ac pauperibus initium veniendi in mundum et finis egrediendi de mundo [2]: omnes enim generatione pariter veniunt super terram, et morte ex ipsa discedunt. Magnitudo vero et parvitas, altitudo et humilitas, felicitas et infelicitas, quae veluti somnia sunt vigilantium, hominibus contingunt inter generationem et mortem; quin immo ab experientiâ sapientibus et insipientibus manifestum fit, nihil horum habere soliditatem.

Ne igitur amittatis propter caducam vitam aeternam felicitatem; nam etsi Christus exemplo cameli in acûs foramine difficile dixerit, divites in regnum coelorum ingredi [3]; si tamen divitiis vestris juxta Dei voluntatem utamini, istud difficile fiet vobis facile. Etenim vel Abraham dives erat, et non tantum dignus effectus fuit, qui in regnum (*coelorum*) intraret, verum et ipsius sinus regnum Dei factus est, omniumque justorum requies appellatus. Similiter et Job, omnesque divites justi, de quibus dictum est a Domino: *Videbitis Abraham et Isaac et Jacob, et omnes justos in regno Dei* [4]. Ita et vestrum erit, si juxta illorum exemplum in viis justitiae ambulaveritis. Illi neminem fraudabant, neminem vexabant, nullius bona usurpabant, nemini injuriam aut fraudem irrogabant; quin immo ex justis suis laboribus esurientes pascebant, nudos operiebant, peregrinos excipiebant, egentium inopiam explebant, afflictos adjuvabant, infirmos consolabantur, pauperem vero ac inopem haud affligebant, sed etiam eos ab ipsorum oppressoribus liberabant. Et quemadmodum illis temporales divitiae impedimento et obstaculo

1 Iac. 5. 4.
2 Sap. 7. 6.
3 Matth. 19. 24.
4 Luc. 13. 28.

non fuerunt ad coelorum regnum possidendum; ita nec vobis mali causa erunt divitiae, si, illorum more, recte iisdem uti velitis, immo, juxta Sapientem, boni causa erunt: dicit enim: *Redemptio viri divitiae suae* [1]. Qui autem, potiusquam suum indigentibus tribuat, eorum usurpat, eosdemque expoliat; et potiusquam hospitalis sit, atque ex itinere defatigatorum refocillator, latronibus fit socius, et in itinere insidiator incedentibus innocenter per viam, domumque suam injustis possessionibus implet, ac locupletatum sese existimat: (taceo scelus veniam non merens eorum, qui non solum bona rapiunt, sed et innocentium sanguinem effundunt, ne ab iis accusentur ceu bonorum suorum raptores, haud cogitantes, alterum esse judicem omnia cognoscentem, cui propria occulta crimina nequeunt abscondere): pro hujusmodi divitibus jure meritoque profert Christus difficiliter intrare (*posse*) in regnum coelorum; quibus non coelum, sed ignis inferorum est habitatio, et vigilantes vermes aeternusque tartarus hospitium. Et hoc jure quidem: ii enim, qui ex justis suis substantiis esurientes non cibant, nudos non operiunt, et hospites non colligunt, audituri sunt a Christo in die judicii: *Discedite a me maledicti, in ignem aeternum* [2]. Illi igitur, qui potius causa sunt famis egentibus, nuditatis afflictis, aliisque bonorum ac personae amissionis; et potiusquam in carcere inclusos visitent eosque verbo et opere consolentur, captivitatis et compedum causa fiunt liberis innocentibus; ubinam pro iisdem locus erit, et quaenam tormentorum mensura, nisi *cum diabolo et angelis ejus*, quorum voluntatem perfecere?

Quapropter oro, ut vos omnes ab hisce noxiis operibus longe sitis; et nemo vestrum adstruat causam peccati, dicens: Nisi auferimus et rapimus, non possumus firmum habere nostrum principatum. Cui hoc primum dicimus, quod si fieri non poterat, ut

1 Prov. 13. 8.   2 Matth. 25. 41.

potestatem habentes Deo placerent; quomodo ergo multi reges et principes quos commemorant etiam Libri sancti, coram Deo et hominibus laudabiles facti sunt? Praeterea etiamsi fieri non posset, quemadmodum dicitis, ut sine fraudibus principatum sustineretis; ergo, qui sapiens est, fugere debet a caduca potestate, ne propter ipsam cum diabolis in aeterno supplicio crucietur. Verum non est difficile potentiâ uti absque injustitiâ; immo amantibus et volentibus facile est ac jucundum. Nos itaque testamur coram Deo, atque omnibus sumus vades, quod si quis domum suam ab usurpationibus purgatam servaverit, et in ea congregaverit justum lucrum tantummodo, etiamsi parum ei videatur, fructum afferet, eritque divitiarum causa plusquam multum injuste adeptum. Quod profecto sapiens Salomon ostendit dicens: *Maledictio Domini super domos impiorum, tecta vero justorum benedicentur* [1]. Nam parum illud injustum, ignis instar, comburit et absumit plurimum justi lucri; quoniam de maledictione et amaritudine expoliatorum est collectio injusti, atque unâ simul cum pauperum maledictione, Domini quoque maledictiones expoliantium domos ingrediuntur. At in domo justi, quoniam ab usurpationibus purgata est, et ipse esurientes nutrit, unâ cum pauperum benedictione, Dei quoque benedictio sensim et latenter ingressa parum multiplicat, quemadmodum viduae in Sarephta [2], et Sunamitidi [3], atque illis, quos Dominus in eremo cibavit. Nemo autem e stultis et rudibus plurima contuens opprimentibus et iniquis bona, pauca vero injuste adipiscentibus, Nostra verba irrideat; audiant potius isti verba David Prophetae, Christi progenitoris, dicentis: *Justo universus mundus bonis plenus est, impio autem neque unus nummulus* [4]. Et iterum: *Melior est buccella sicca*

1 Prov, 14. 11. 2 III. Reg. 17. 9. 3 IV. Reg. 4.
4 Desunt haec verba in nostra vulgata, quin immo et in ipsa Graeca lectione LXX. desiderantur; leguntur tamen Prov. cap. 17. vers. 4. in Alexandrina et Armenia versione.

cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio [1]. Et hoc jure quidem: ii enim, qui justis et aequis suis bonis saturantur, nullum a Deo sustinebunt supplicium; sed qui mensas suas oppressionibus, furtis, et rapinis implent, de omnibus quibus ex aliorum rebus abunde fruuntur, in die judicii cum usuris poenas luent.

Ne frangatis propriâ auctoritate religionis jejunia piscibus et vino [2]; ne cum intemperantibus judicemini.

Praeterea et hoc dicimus: Mendacium et dolus, quem Christus a malo daemone esse docuit, etsi cunctis noceat hominibus; plus tamen Optimatibus et Principibus. Inops enim, quoniam est debilis, dicta sua mendacio confirmare credibiliaque reddere curat; sed Princeps quum justitiam contemnit, agere quidquid pro lubitu vult prae manibus habet. Insuper plebejus homo si quid mendacii profert vel si quid mali operatur non omnibus se palam facit, neque ab omnibus publice objurgatur; at Optimatum parvulam etiam culpam blasphemiis atque contemptu exaltant vicini et longinqui, et a Procerum in praeceptis exequendis transgressu peccati sumunt exemplum sectatores malorum.

Quapropter oro, ne sint in vobis doli et mendacii verba, neque erga eos, qui vobis subsunt, neque erga extraneos: sed quibus verbo bona promittitis, id opere implete; istud namque acceptum est coram Deo et hominibus, vobisque ex omni ore laudis est causa. Neque desint vestris militibus [3] aliisque omnibus, qui vobis serviunt, pacta stipendia; id enim maxima rapina et injustitia foret. Nam sicut ii propter mercedem, quam a vobis accipiunt, debent pro vobis suum sanguinem fundere; ita et vos promissa

1 Prov. 17. 1.

2 In Oriente enim jejunia, Anachoretarum more, perficiuntur piscibus quoque ac vino et oleo seclusis.

3 Militibus utebantur ad se tuendos, necnon ad latronum incursiones e suis praediis arcendas vel ipsi Magnates.

eorum stipendia integre solvere debetis. Neque praeter modum vi cum ipsis utamini, ne timentes, ut a vobis expolientur, in carcerem conjiciantur atque puniantur, injuste clam aufugiant; sicque perjuri in vos fiant, atque in utrisque sint peccata, in eis videlicet et vobis. At si Nostrum consilium admonitionemque in animum induxeritis, hanc ponetis regulam cunctis, qui vobis serviunt, quod omnes nempe, qui in servitute vestra manere volunt, fideliter et absque fraude deserviant; et si quis a servitute exire voluerit, veniam a vobis palam et sine timore poscat, vosque ne prohibeatis comminationibus et vi, sed peramanter ac sponte facite ut remaneat quem discedere non vultis; aliis vero suaviter veniam date, et si quid eis reddendum a vobis est, reddite. Quum autem vos hanc justitiae regulam exercere videbunt, vel non amplius abibunt, vel, si abierint, cito ad vos revertentur; sicque et vos et illos a perjurii culpâ liberabitis: quod magni a Deo premii causa vobis erit.

Praeterea ne confugiatis ultro ad juramentum nominis Dei, Evangelii sancti, et Crucis, quin magna adsit necessitas. Christus enim in Evangelio[1] ubi de juramento loquitur, jubet, *numquam jurare* non solum per Creatorem, sed neque *per creaturas, neque per coelum, neque per terram, neque per caput tuum;* verum sic vos omnibus veraces ostendite, ut vestris tantum verbis, quasi juramento, homines credant. At si valde necessarium foret juramentum, nemo peccet inexpiabili culpâ falsum jurando, atque perjurium perpetrando; pejus est enim in juramento negare (*veritatem*), quam coram infidelibus ob mortis metum (*fidem*) negare. Hoc namque est coacte, ac propter cruciatuum mortisque timorem; illud sponte, ac propter parvum lucrum: et haec inter se differunt quemadmodum voluntarium a involuntario peccato. Neque solum Christianis eamdem fidem

1 Matth. 5. 34. et seq.

profitentibus vos decet absque mendacio jurata servare, verum etiam Alienigenis; quin immo eis potius, ne in causa sitis, quatenus ab illis nomen Dei, nostraque Christianitatis fides blasphemetur. Nam si Deus, propterea quod Israelitae regi Nabuchodonosor idololatrae fidem fregerunt, civitatem et populum, qui in ipsâ erat, tradidit in manus illius; quanto magis in novo foedere Deus animadvertet in illos, qui jurata mentiuntur et denegant? Neque sit, qui haec reponat: Quoniam ipsi nobis jurata denegant, oportet nos quoque idem agere cum ipsis. At nostrum eorumque jusjurandum idem non est: nostrum est in veritate, haudquaquam autem illorum. Quapropter nos, ceu servus voluntatem domini sui agnoscens et non faciens, multis vapulabimus; illi autem, ceu nescientes, paucis.

Oramus praeterea, ne in furore dicatis supplicii aut mortis sententiam, haud recto justitiae judicio: nova enim lex id non jubet, vetus autem quamvis jubeat, supplicio aut capiti damnare, non tamen sine causâ, sed pro reatu unumquemque. Quare et vos, qui Proceres estis, etiamsi novae legis observantiam arduam dicatis, veteris circa id praecepta saltem implete. Quod si homines, invitis legibus, capiti aut supplicio injuste damnaveritis, procul dubio scitote, quia Deus interfectorum sanguinem, et punitorum recisa membra de manibus vestris in die judicii requiret. Insuper id quoque vobis praecipimus: ne sitis vindictae cupidi injuriarumque ultores, de quo Israelitarum principes arguit Isaias Propheta [1]; sed, juxta Christi praeceptum, ignoscite, omnesque sufferte, qui in vos peccaverunt, ut vos quoque apud eum humanitatem benignitatemque assequamini, juxta illud: *Nolite judicare et non judicabimini, nolite condemnare et non condemnabimini; eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur et vobis* [2].

1 Isai. cap. 52.

2 Luc. 6. 37. et 38.

Ad coetum Militum.

Loquamur juxta ordinem etiam ad Vos, o agmina Militum, qui estis sub Principum et Dominantium potestate. Primum itaque vobis Apostolicum proferimus verbum, quod vos jubet [1], obedientes esse dominis vestris in omni re, neque servire ut ab iis videamini, quasi adulatores; sed ex corde sincero, sicuti Deo. Hujus namque (*obsequii*), ait, remunerator est Dominus; nimirum, si quis fideliter ei deservit, in cujus potestate devenit, etsi minus habeat a suo principe, in moerore non sit, inquit; Deus enim est, qui solvet bonorum mensuram pro illius recto labore. Verum qui in verbis aut in opere fraudator deprehenditur erga domini sui personam, aut circa illius bona, vel arcis ejus munimen; in Deum cadit fraus illa, non in hominem, ideoque a Deo excipiet punitionem malorum suorum; immo hic homo infidus sejunctus est a fide etiam sua, et est pejor infidelibus. Hi namque etsi ex vera fide divinâque lege aberraverint, obedientiam tamen suis dominis atque amorem constanter in semetipsis praeseferunt. Verum quid dicimus Christianis principibus sinceritatem atque amorem praestandum palam et in abscondito? Christiani quoque sub Pagani hominis potestate degentes, qui saturantur illius annonis, et vestiuntur, ei debent eamdem ostendere fidelitatem, ac sine malitiâ servitutem praestare. Quum enim id scribebat Apostolus: *Servi obedite dominis vestris* [2], haudquaquam Christiani erant servorum domini, sed idololatrae. Atque per hoc voluit manifestam facere infidelibus veram Christianorum legem; nostris namque legibus est vituperabilis fraus in dominos, et amabilis fidelitas; ne blasphemiae

1 Ephes. cap. 6.

2 Colos. 3. 22.

verba in nostram legem fidemque loquantur si quem Christianorum in se cognoverit fraudatorem.

Sin autem vos domini vestri alicui operae praefecerint, aut si ad quampiam miserint praeparationem, juste et rite erga subditos agite, neminem affligentes crudeliter et praeter justitiam, neminem calumniantes, saevo animo vos ipsos illis ostendentes, ceu carnifices, neque agite ultra quod vobis praeceptum fuit, juxta Baptistae admonitionem [1]; sed *contenti stipendiis vestris* misericordiâ et amore erga omnes utimini, ut vos quoque misericordiam apud Deum inveniatis. Neque, propterea quod milites estis, contemnendo divina mandata inobedientes estote Rectoribus (*Ecclesiae*), qui vos admonent, ut Dei praecepta servetis, et non frangatis inique sancta jejunia, neque credatis non esse peccatum ereptionem bonorum pauperum, et insontis sanguinis effusionem. Nam praeter interfectos in communibus bellis, quae ex Imperatorum jussu fiunt, de singulis aliis, qui ex vestra voluntate interfecti fuerint, rationem exiget a vobis Deus judicio graviter severo. Sic et de iis, quae praeter vestra stipendia injuste ac vi pauperibus aufertis, aut ex dominorum vestrorum bonis furatis, solvere debetis indeficienter in die judicii.

Praeterea, magis quam reliqui de populo, Deus vobis timendus est, ejusque praecepta servanda, quia contra hostiles enses vobis omni tempore pugnandum est. Idcirco supra corporeis armis fidei arma induite, pietatem videlicet, ac justitiam, et sanctitatem, jejunium, et orationem, et misericordiam; ut Deus ipse promovens bella ante vos vestros hostes sit profligaturus.

1 Luc. 3. 13. 14.

Ad Cives.

Praecipimus et vobis, o Cives, (*vobisque omnibus*) qui in tabernis emendi aut vendendi causâ assidetis, vobisque, Artifices, ut cum rectitudine et irreprehensibili conversatione vitam vestram ducatis. Nemo dolo aut fraude innocenti emptori suas vendet merces; multo minus mendaciis aut perjuriis vulgus, imperitosque decipiat: aliàs cum latronibus et rapacibus judicabitur hic vir in die judicii, et Deus bona ejus opera accipiet, illisque dabit, qui ab eo fraudati fuere. Non sit apud vos pondus magnum et parvum [1], et mensura duplex, quoniam utrumque abominatio est coram Deo, sicuti Salomon dixit [2]; sed vendite cum justitiâ et rectitudine opera manuum vestrarum, vestraeque negotiationis res; ne fraudatorum maledictio bona vestra comburet, sed potius Dei benedictio domos vestras ingrediatur.

Neque rusticos utpote ignaros, contemnite ob illorum simplicitatem; Deus enim plus amat justam eorum vitam, quam vitiosos, deceptoresque hominum. Argentum vestrum ne detis ad usuram, juxta Prophetam [3], iis, qui ab Infidelium principum violentiâ opprimuntur, nec usurarum lucro ipsorum paupertatis lucrum devorate; sed ut fratres vos ad invicem supportate auxiliumque praebete. Quod commodatis, hoc tantum ab eis exigite, et multum retributionis lucrati eritis in vita eterna, quemadmodum etiam Christus jubet, non solum dare sine usurâ, sed iis dare, a quibus accipiendi spem non habetis [4]. Insuper de cunctis vestris bonis date eleemosynam egentibus et pauperibus, ut per ipsam omnia vestra sanctificetis, atque a Christo remunerationem in die judicii habeatis.

1 Idest, pondus specie quidem magnum, sed parvum reapse.
2 Prov. 11. 1. 3 Psal. 14. 5. 4 Luc. 6. 35.

Agricolis, omnibusque plebejis.

Divini praecepti admonitionem, quam vobis tradimus, auribus percipite, o Agricolae, omnesque plebeji; quibus magis magisque necessarium est ad animae sanitatem spirituale remedium, ut vos quoque a peccatorum morbo convalescatis. Quapropter oramus vos, ne, ob caducam vitam corporeis commodis affluentem, aeternâ spirituali felicitate careatis, quâ in coelesti regno fruuntur Sancti. Et quoniam vos templum Dei estis, quemadmodum dixit Apostolus [1], et Spiritus Dei in vobis mansit per fontis lavacrum, nolite Dei templum, quod sunt animae vestrae, immunditiis, fornicatione, adulterio coinquinare, ne Deus in die judicii coinquinet vos igne inferni, sicut et Paulus scribit [2]. Neque inebriamini vino in quo luxuria est ac fatuitas, quae est mater fornicationis, omnisque immunditiae, et injustitiae, et rixarum, verborumque obscoenorum ac injuriosorum, ex quibus caedes; ne ab haereditate regni Dei cum homicidis et facinorosis, juxta Apostolica verba [3], excidatis. Si quis autem vestrum hisce aliisve delictis in Deum peccaverit, ne permaneat usque ad mortis diem in eadem foeda consuetudine, sed Confessione, ac Poenitentiâ expurget delicta sua, atque deinceps bonum pro malo operetur.

Item ne faciatis linguas vestras instrumentum Satanae improbis amarisque blasphemiis, maxime quae animam potius, fontisque lavacrum ac baptizantem Sacerdotem, et vultum, et os contaminant; quia plusquam abnegationem et circumcisionem [4] magnum est hoc peccatum. Infideles enim, qui fidem

1 I. Cor. 3. 16. et alibi. 2 II. Thes. 1. 8. 3 I. Cor. 6. 10.
4 Id significat ad Turcarum religionem deflectere, quippe quod ipsi Hebraeos imitantes, circumciduntur.

abnegare cogunt Christianum, non instigant, ut Deus contemnatur; qui vero fidem spernit, non spernit hominem sed Deum, quia fides cujuscumque Deum adorantis est Deus ipse, et qui spernit baptisma ac Sacerdotem baptizantem, hujusmodi contemptus fit Spiritui Sancto, in ipso enim per fontem nascuntur baptizati; et qui hominis animam ac vultum contemnit, haec blasphemia ad Deum refertur, quia anima est a Deo afflata, et vultus est Dei imago, quemadmodum et os pariter Corpus excipit ac Sanguinem Christi. *Nolite* igitur *cuntristare Spiritum Sanctum Dei* [1] hisce foedis obscoenisque verbis, ne Spiritus Dei, qui in vobis per fontem habitavit, elongetur a vobis, et intret loco ipsius habitetque in cordibus vestris spiritus Satanae.

Demus insuper et hoc praeceptum cunctis fidelibus: ut nutriatis filios vestros in timore Dei, ipsos adhortando a tenera aetate, ut Deum diligant, sintque misericordes atque orationis amatores, eosque precationes docete, atque increpate quum obscoena proferunt blasphemiaque verba; adolescentiae namque tempore parentum monita indelebili memoriâ altius infixa manent in pueris; cum quibus etiam in bonorum operum remuneratione praemium a Christo accipietis.

Denique, ut omnis bonitatis caput, diligite alterutrum ac pietatem et misericordiam habete erga pauperes et nudos et hospites et captivos; quibus operibus regnum coelorum in Christo Jesu haereditabitis.

1 Ephes. 4. 30.

Ad foeminarum coetum.

Ad vos tandem, mulieres, praecepta dirigimus. In omnibus vos ipsas habete cum pudicitia et honestate, ut Christianos decet; et, plusquam auro et argento, verecundiâ et pudore vos ipsas ornate. Nemo vestrum, ut sit scandalo incautis juvenibus, pictis coloribus colorem vultûs immutet, ne in foveam praecipitet animam suam, nec non illius a quo concupiscitur. Nemo assimiletur serpenti, iniquitatis instrumentum sese efficiens, quod lenocinium vocatur. Nam quemadmodum ille mortis fructum fraudolenter Evae porrexit, sic et ipsa stultis mulieribus ac viris ad manducandum praebet fructum peccati mortem afferentem, qui primum dulcis videtur insanis, et postea degustatus super fel est amarus. Mulier vero haeres efficitur maledictionis a Deo latae in serpentem, cujus fecit et opera.

Insuper nemo vestrum diabolicis sortilegiis, vel magicis veneficiis incumbat [1]; quia dum alia peccata in operibus damnum inferunt, haec vel in ipsa fide. Nam fascinationes a Diabolo sunt, et nonnisi a Deo recedendo, atque diaboli ministros adoratoresque sese efficiendo, magicae incantationes fiunt. Quapropter vos oro, ut abstineatis a malo tam ingenti et irremissibili; ne cum diabolo ad infernalem ignem damnemini. Id enim non Christianorum, sed Idololatriae est opus, quod Christus suo adventu abstulit de mundo, idolorum nimirum errorem, ipsorumque impietatis opera. Nemo igitur Diabolo cooperet improbis incantationum operibus; ne cum ipso in aeternum igne infernali comburatur.

Erant et alia multa ex divinis praeceptis vobis scribenda, ut a peccatis, et ab omnibus malis ope-

1 In hoc enim vel maxime peccant Orientales foeminae.

ribus abstineretis; sed, quae desunt in isto volumine, accipietis a Sacerdotibus et Episcopis, qui animarum vestrarum inspectores ordinati a Deo fuerunt, ut vobis in dies verbum veritatis edisserant. Nos autem Dominum exoramus, ut *auferat a vobis cor lapideum, et det vobis cor carneum* [1], et foecundam in vobis efficiat terram, et gignere faciat in spiritibus vestris semen verbi Nostri, fructumque reddere multiplicem usque ad tertiam mensuram [2]. Hoc modo hilari et jucundo vultu coram justo judice in die judicii dicemus: *Ecce ego et filii mei, quos dedisti mihi* [3], et vobiscum ad dexteram collocabimur in aeternâ vitâ in Christo Jesu Domino nostro, qui est benedictus in saecula. Amen.

1 Ezech. 11. 19. et 36. 26.
2 *Centesimam* scilicet, juxta Evangelium Matth. 13. 8.
3 Iohan. 17. 12.

FINIS.